









PET. CINERII

DISSERTATIONES LITTERARIAE

Varia Hebdomade publicatae

D. D.

MARCO A BEAVVAV

CELSISSIMO S. R. I. PRINCIPI CRAON
Ex Magnatibus Hifpaniarum Prioris
Ordinis, Aurei velleri Equiti,


*Maieftatis Reginae Apoftolicae ab intimis
confiliis, nec non fuae Celfit. Reg.*
FRANCISCI III. *Loth. Baris,*
& M. Etbruriae Ducis

SVPR. STABVLI PRAEFECTO

E T

REGIMINIS FLORENTINI PRAESIDI.






FLORENTIAE. MDCCXXXXII.
Ex Typographia Io. Baptiftae Brufcagli
& Sociorum ad Infigne Centauri.
CVM ADPROBATIONE.







CELSISSIME PRINCEPS



Elſitudinis TVAE virtutem ipſo ſtemmatis ſublimitate digniorem iuxta virium mearum tenuitatem veneraturus operis huius obli-

viſcar exiguitatem ſolius TVI memor amoris; Petit iſte, ut quodcunque manus tibi devota exararet, hoc cor tibi ſincero affectu ſacrum dicaret; Agnovit virtutem tuam Serenitas Ducis Lotharingiae, qui Principis Filii ſui ei Perſonam confidit, confirmavit eius aeſtimationem Regia Maieſtas Mariae Thereſiae Apoſtolici Regis Hungariae, & Celſitudo Regia Franciſci Magni Ducis Ethruriae, dum ſtatuum ſuorum in hac TE caput a Regimine eſſe ſtatuere, artes, quas colis, TE Patrem ac Macenatem, Scientiae Tibi dilectae carum ſibi laudant amicum, morum tuorum eximiam honeſtatem nobilitas Florentinorum, Au-

ſtra-

ſtraſiorum , extraneorum diligit ; Quilibet quaerit , quae det , ut oſtendat , ut ſe ſatis TE amare comprobet , quid Extraneo mihi quam affectus remanet , qui exiguitati operis mei pondus addat, quod a TE deſumet , Tuoque nomine decoret . Variis igitur Tibi Titulis deviċtiſſimum me crede, quem una cum opere hoc Celſitudini TVAE dico, ſubiicioque Petrum Cinerium.

PRAEFATIO.



Olui candide Lector materiarum diversitate taedium sublevare, quod in longioribus voluminibus prolixitas eiusdem solet generare; Quaesivi illas, quas non credidi satis enucleatas, aut quas existimavi utiliores; Non semper quid novi dicere valui, tamen vel ignotum his plagis publicavi, aut neglectum reassumpsi, prout sinceritas mihi suasit, ac utilitas.

Quamcunque Dissertationem leges, spero Te brevitatem, coniecturas novas, magis ignotas, rationes ut non aliunde desumptas, aut magis firmatas quam ante hac inserturum; Incoepimus hoc anno volumen nostrum mense Maio, nunquam igitur potuissent duo Volumina eodem anno lucem obtinere; Satius ea ratione existimavi, secundum volumen anni MDCC-

 XLIII.

XLIII. initio inchoare, ut eius finis cum mense Iunio claudi & tertio eorum locum dare valeat; Interim has hebdomadas studio meo dare potero, ut Lectores non ut hoc anno ob intervenientem aliquam infirmitatem retardari cogantur.

Si linguarum ignorantia, monumentorum defectus, Auctorum librorumque inopia errores generasset, quos ignoro, corrige, & ut poteris utilem tibi libellum redde.

Res litteraria Dissertationibus indiget, hoc Academia Lutetiensis, Petropolitana, Ethrusca, maximorumque virorum disserendi mos probavit. Voluntas mihi eadem, est do, quae possum, Tu disce, quae valebis.

I Fili libelle, partus otii mei, & a te ipso loquere, dic Lectori te suum esse ideo, ut correctionem non vituperium in iis, in quibus quid humani passus es, merearis. Ausculta diligenter, unde corrigar; Instrue, ubi veritas suadet. Disce, ubi sinceritas doce re prohibet, ostende te Auctoris honesti filium, non a contumace superbia natum esse.

Sin-

Sincerus sum, non ubique sine mendo es; Non opprobrii tamen sed instructionis patientissimus, quod Pater tuus ob tenuitatem suam tibi dare nequivit, per lectoris eruditi crisin, ipsi Patri reddere valebis; Gratus, quaecumque me corrigent, a lectoris tui calamo feram, non time tamen, quia quaecumque non instructionis sed arrogantiae gratia dici possent, non patiar, tuamque partem non hallucinatoris more, sed infaceti Zoili castigatione sumptupturus, si non securum te a solitis reddam molestiis, saltem non vindictae solatio carere sinam.

Deficis a proposito tuo in Dissertatione XVII. desunt, quae taceo, calamo autem auctoris, quae tu hic prudentia volente retines, loco alio, faustiore tempore, felicioribus avibus Augustissimis lectoribus se dixisse non pudebit. Tace, non enim quilibet ostro notatur dies.

Quia etiam non imprudentis viri est, mutasse consilium XXIV. Dissertationes ostensurus, in primo non nisi XXI. perhibes, ne tu maiorem debito proportionem iniusto volumine frangas,

me-

meliorem dispositionem sequentibus securus.

Eruditorum certamina nunquam quid influentiae in statuum Regnorumve crisin politicam habuere; Non est nisi per ea, quae a legatis aut Principum nomine dicuntur, quod robur praetensionis iis accedere possit; Spero igitur sapientem Lectorem mea eo modo lecturum, quo a me scripta sunt, idest instructionis gratia, quam variarum historiarum antiquitas petiit; neque ego in ea aliam, quam historici critici, in iis antiquitatis sunt, Philosophi autem in reflexionibus, quae mores hominum attinent, personam gessi; Ita ut toto Caelo aberret, qui argumentum exinde in quamcumque partem a me non petitam desumere velit.

Tu autem, candide Lector, erudire semper, disce, ut corrigere valeas, ac merearis; Lege, me dilige, Vale.

INDEX

AVCTORVM, QVORVM NOMINA IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

A

---- Sa-

------ Salernitanum Chronicon.
Antonius Diogenes.
Aquila.
Aratus.
Arias.
Ariſtobulus.
Ariſtomenes.
Ariſtotiles.
Arngrimus Ionas.
Card. de Arragonia.
Arrianus hiſtoricus.
Artemidorus.
S. Athanaſius.
S. Auguſtinus.
Auranus.
Auſonius.

B

Ioh. Backſchay.
Baffins.
Baillet.
Barenſis.
Barenz.
Baronius.
S. Baſilius.
Baudrand.
V. Beda.
Bellarminus.
Biblia Polyglota variarum editionum, & verſionum.
Bignonius.

C

Ioh.

D

E

Eginhardus.
Eratoſthenes.
Eucherius.
Euſebius.
Euſtachius.
Euthimius.

F

Fabricius.
Ferrandus.
Forbisher.
Fortunatus.
S. Fredegarius.

G

Garcias.
Gaſparus Varrerius.
Le Gendre.
Genebrardus.
Germanicus.
Giraldus.
Goropius Becanus.
S. Gregorius M.

------ Nazianzenus.
------ Secundus.
------ Turonensis.
Grotius.
Gunterus.

H

Hagecius.
Hammondus.
Harckluit.
Harduinus.
Magnus Heinningsen.
Heliodorus.
Hermannus Contractus.
Herodianus.
Herodotus.
Ioh. Heroldus.
Hesiodus.
S. Hieronymus.
Q. Iul. Hilarion.
S. Hilarius.
Hirtius.
Historia Ottomannica.
Homerus.
Horatius.
Hudson.
Huetius.
Hyde.
Hyginus.
Hyppocrates.

I

Iamblichus.
Iames.
Ianſenius.
Salomon Iarchi.
Idacus proſper.
Ioannes Biclarenſis.
Iornandes.
Flav. Ioſephus.
Irenaeus.
Irenicus.
Iſidorus D.
------ Monacus.
S. ------ Peluſiota.
Iver Bert.
S. Iuſtinus.
------ Hiſtoricus.
Iuvenalis.

K

Kalldneſverus.
Kimchi.
Ioh. Koehlerus.
Krantzius.



L

Lambechus.
Lampridius.
Lenglet de Fresnoy.
Leuncladius.
Linschoten.
Lipsius.
Lopez de Gomarra.
Lucanus.
Lucianus.
Lucius.
Ioh. Lucius.
Ludolfus.
Lupus Protospata.
Lycophron.
Lyranus.

M

Macrobius.
Paul. Maffeus.
Maimonides.
Manilius.
Marcellinus Comes.
Marciani Heracleotae Periplus.
Martens.
Martialis.
Marcus Marullus.

Me-

Mediobarbus.
Menochius.
Mezerai.
Monier.
Montfauconius.
Morellius.
Morinus.
La Mothe le Vayer.
Mouncke.
Muisius.

N

Nadanius.
Natham.
Nicander.
Nicephorus Gregorius.
Nigidius.
Nonius.

O

Odericus Reinaldus.
P. Ioh. Olahus.
Orbinus.
Origenes.
Orosius.
Ortelius.
Ovidius.

P

---- Atha-

Q

R

S

Theophilus Antiochenus.
Theophylactus.
S. Thomas.
Thomas Archidux.
Thorgifellus.
Thormodus.
Thvvrozius.
Ioh. Tilius.
Torniellus.
Tourneminius.
Trebellius.
Triftan.
Trogus Pompeius.
Tryphiodorus.
Tullius.
Tzetzen in hycaphron.

V

Vafary.
Victor Thununenfis.
Vincentius Bellavicenfis.
Virgilius.
Vitruvius.
Vopifcus.
Voffius.
Vfferius.
Voyages du Nord,

INDEX DISSERTATIONUM.

DISSERTATIO XV.

De Partibus Hungariae.

DISSERTATIO XVII.

De Thule veterum.

DISSERTATIO XVIII.

De origine XII. denominationum signorum Zodiaci.

DISSERTATIO XIX.

Continuatio de Titulis Psalmorum.

DISSERTATIO XX.

De Chronologia Pentateuchi usque ad Abrahamum.

DISSERTATIO XXI.

Introductio ad historiam artis delineatoriae.

DISSERTATIO I.

De vero, & vario Dei in Sciptura Nomine.

****



A Iove principium fuit Gentilibus, multo magis mihi Chriſtiano prima mearum Diſſertationum materia de Deo noſtro eſſe debet. Non potui ergo, nec volui exordium niſi ab illo, qui omnibus id praeſtitit, deſumere. Tot iam, ante me, de Dei nomine diſputaverunt, ut nihil me novi in hac ab Eruditiſſimis etiam viris agitata quaeſtione dicturum autumem. Quia tamen mens mihi eſt aliquando ſupra difficiliores Dei in Scriptura praeſertim autem in V. T. revelatas appariciones diſſerere, non male, nec lectori taedioſum iudicavi, ſi dum hodie arcanum Divinorum nominum ſermonem, ſeu ſenſum quomodocumque detegens, faciliorem ei apparitionum redderem intelligentiam.

Nec hodiernum diem vobis Etymologicis Mythologiae monumentis, & rationibus, quibus erudite Critici noſtri tetragrammaton & ineffabile Dei nomen comitari ſolent, utpote non ſolum abunde notis, & clariſſimis

A ſed

sed etiam, quia alium mihi hodie, id est Scripturae intelligendae facilitatem, scopum praefixi, consumendum esse statui; accedit me in tot discursibus mythologicam mysteriorum clavim assumpturum, ut ne materia affinis semper, vel recocta nauseam generet, varietatis promissae memor diversum ab illa semel studium amplecti cogar.

Deus nullum nomen habere potest, nec habet, quia ille est ineffabilis, ita ut de se dixerit: *Sum qui sum*; attamen variis in Scriptura nominibus adpellatur, quae diversis adhibita occasionibus, & circumstantiis, diversas vel virtutes, vel operationes nominum referatis pandunt arcanis; Voluit enim Divinae bonitas sapientiae, miseriae nostrae loquendo compati, eique se humili, & sapientissima phrasi conformare, ut licet una eademque sit actio, & perfectio, omnipotentia punientis, & miserentis Dei, nec illi nisi una virtus, una ergo operatio; conceptus nostri tamen imbecillitatem perspiciens eam quoad diversos, qui nobis apparent, effectus diversis etiam vocabulis exprimere voluerit. Non minimum est ergo, Deum se variis sui enunciare adpellationibus, quibus perspectis videamus quam sui virtutem magis in quacumque actione in se adorandam proponat. Nil a Deo, quod non iustitiae aeque, & misericordiae contineat infinitum, licet una earum nobis secundum circumstantias, effectus, & captum nostrum magis alia eluceat. Quae ergo sunt haec Dei nomina? quid dicunt; quibus circumstantiis adhibentur, quisve eis

arca-

arcanus sermo? Quaestio nostra est. Nec hic propriam phantasticae critices imaginationem, sed clarissimos, ut potui Scripturae Textus, iuxta vel oculis cuiuscumque facillime subiiciendum, aut ab *Aria*, *Pagnino*, *Bellarmino* aliisve doctoribus communem sensum, vendidi.

יהוה Primum omnium Divinorum nominum est, quod vulgo *Iehovah*. Minime autem vel a Patribus, vel ab Ebraeis unquam hoc modo pronunciatum fuit. Moysi Deus hoc nomen tot Maiestatis suae, ad carnali populo Iudaeorum imprimendum terrorem idoneis praeparationibus comitatum revelavit, seque dilectissimis sibi Patriarchis, iustisque viris Abram, Isaac, & Iacob non manifestasse adiungit. *Ex.* 6. Tantam nominis huius circumstantiae, & prodigia Isdraelitarum animo timorem & reverentiam incussere, ut superstitione in dies crescente post captivitatem Babylonicam nunquam nisi in templo ieiunii die coram pauculis sapientia iam purificatis auribus pronunciari, nec nisi ab electis audiri capitali postea lege cautum fuerit; ut testes sunt *Maimonides*, & *Philo l.* 3. *vitae Moysis*. Vnde postea moderna & falsa nulloque congruo probanda monumento Rabbinorum egressa est traditio, etiam ante dictam captivitatem, nulli, quam Summo Pontifici non nisi semel per annum, dum Sancta Sanctorum ingrederetur, illud effari fas fuisse; de eo tamen non dubito, quod secundum Decalogi praeceptum assueti carnalibus, & externis caeremoniis Iudaei nobis Chri-

ſtianis religioſius obſervaverint. Haec pronunciationis raritas, & ſuperſtitioſae obſervantia religioſitatis, illos ubicunque hoc nomen occurreret, tam dialecto, quam ſignificatione, vocabulo diverſiſſimo aut *Adonai*, *Dominus*, aut *Elohim*, de quo infra, illud enunciare iuſſit, ita ut ſi tempore LXX. adhuc pronunciatio recta & conſueta ſubſiſtit, tamen certe rarior, & non niſi doctiſſimis probatiſſimiſque viris nota eſſe potuit, inter quos tamen dictos LXX. ſi ullos, computare deberemus; ſuperbia tamen, & Religioſae Tenacitas invidiae eos tam ſacratum nomen Dei incircumciſis, qui ad id audiendum, vel ſciendum, multo magis pronunciandum indigni eſſent, aperire non permiſit, utpote qui ſe ſolos electos, ſolos redemptionis ſors etiam promiſſae dignos; ſolos circumciſionis lege ad id deſignatos crediderint. Ideo Κυριος graece, ut *Adonai* hebraice ſolebant, verterunt. Non mirandum ſi poſtea templo everſo haec plane deperdita fuit pronunciatio, quae, ignorantia, ut ordinario fieri ſolet, cum ſuperſtitione creſcente, non niſi apud paucos ſubſiſtere unquam potuit, qui enim illam nunquam audierunt, nec ſi noverunt, neſcientibus illud communicare non auſi ſunt, plurimi erant. Nimis honorat modernos, qui credit eos ſecretam tenere hanc enunciationem, & malitia tantum vel religione operire, quia illis prima etiam elementa deſunt, & ſi punctis apocryphis deſtituantur, vel nudi relinquuntur, vel ad fabulas confugere coguntur. Nec illorum anteceſſores, qui pun-

cta

cta invenerunt, plus in hoc eruditi reputandi sunt, quia S. Hieronymi temporibus verus huius nominis sonus iam ita ignotus fuit, ut is illud *ineffabile* dicere cogatur, & in ipso *Exod.* 6. loco, ubi praecipue hoc nomen adhibetur, multo magis aliis in locis per *Adonai*, id est *Dominus* vertat. Mos autem hic tam antiquus, inolitus, & communis est; ut non solum *Origenes in hexaplis & tetraplis*, idipsum graecis litteris *αδωναι* expresserit, sed ipse D. N. & Apostoli in V. T. Textibus sibi occurrentibus, ut communi se consuetudini adaptarent, neve blasphaemiae notam apud superstitiosum populum incurrerent, ad inolitam iam Adonai pronuntiationem amplectendam coactos fuisse crederentur, ubi tamen alia nomina propria iisdem vocabulis efferrent. Samaritanos illud per *Iave* vel *Iabe* expressisse testis est *Theodoretus quaest.* 15. *in Exod.* Per *Iaho Clemens Alex. lib.* 5. *Strom. Macrob. lib.* 1. *Saturnal. cap.* 18. *& Diodorus Siculus lib.* 1. *Biblioth. Arias* rectius *Iehueh* iisdem fere rationibus, quam ego יהיה *iibie* cum aliis, & fere etiam *Bellarmino in Psal.* 34. *gr. hebr.* Iam Radix eius est היה *haiah*, quod dicit latine *fuit*; & *iibie est*, vel *erit* significat, ita ut in eodem vocabulo *fuisse*, *esse & futurum esse* contineatur. Nec mihi obstat modo non cum י sed ו scribi, quia caracteres moderni non satis remotam antiquitatem, ut quidquam decernere queant, sibi usurpare possunt; *secundo* imperitia facillime potuit tam affinem litteram in longius protrahere, ut istud non primum nobis de-

plorandum in ſacra lingua eſſet exemplum, maxime dum ſuae legis ignorantia populus hic ſoluto carcere Babylonico maxime laboraret, ita ut videamus quaſi nova omnia, quae iis praelecta ſunt, eos admiratos fuiſſe, per *varia Nehemiae loca*. *Tertio* neſcimus quam longo tempore hoc nomen iiſdem litteris ſcriptum ſit. Poteſt tamen etiam cum ו ſcribi, & tunc habebit in ſe nomen *Iehu exiſtens*, quod in ſcriptura commune alias huic depravationi ob nominis affinitatem, & ex eadem radice *haiah* procedentem ſignificationem locum potuit dediſſe. Licet antea praenotaverim me hodie omnem mythologicam ſaepius alias reſumendam evitaturum eſſe occupationem, hoc tamen obſervandum proponam: meam de pronuntiatione adductam mentem omnes ab Eruditis pro *Iao*, *Iove*, *Ehove* (quod Bacchantium fuit exclamatio) *Baccho* & aliis divinitatibus ex hoc vocabulo educendas allegorias minime impugnare, ſed me potius nova & non inani coniectura eas confirmaturum, *Theuth* Germanorum, Gallorum, Brittannorum, Sveonum, omniumque Septentrionalium, populorum Deus, & heros permutatione ה in ח ordinaria exinde nomen habuiſſe. Licet enim ea aetate fors, ut ipſe dubito, haec litterarum in figura quam videamus, affinitas non ſubſtiterit, tamen oblitam nobis pronuntiationem litterae *Theth*, gutturali *Heth* magis quam modo, fors ut in Arabico *Ftheth*, vel Anglis *The*, propinquam fuiſſe non dubitandum, alias eadem fuiſſet cum *Tau*, quod abſurdum eſt., & ſuperfluo unam, eandemque

que sono, & virtute litteram in Alphabeto geminare. In *Theuth* postea *Thoth* Aegyptiorum cum articulo Coptico *Pa*, *Pathoth*, ex quo graeci *Athoth* vel *Athothes* fecerunt, invenimus; sed de hoc alias; meae autem lectionis antiquae confirmatio est graecorum ex caracterum similitudine famosum in S. Hyeronimo illis exprobratus error *Πιπι*. Iam ad Patres redeamus: hoc illis τετραγράμματον, ἄρρητον, & ἀνεκφώνητον fere semper, idest quatuor litteris constans, ineffabile, vel soni exspers nuncupabatur. *Orig. hom.* 14. *Euseb. lib.* 11. *Praepar. Evang. Cap.* 8. *Greg. Nazianz. orat.* 4. *de Theologia. Theodoret. quaest.* 15. *in Ex. Hieron. Epist.* 136. *ad Marcellam &c.* De hoc nomine loco citato *Origenes*: *Aliter scribitur quicunque Deus, aliter Deus ipse, de quo dicitur: Audi Israel Dominus Deus tuus Deus unus est*; Ideo vero Dei unico convenire dicimus, quia in Scriptura per alias Dei adpellationes saepius, Idola vel etiam creaturas intelligi, hoc autem nunquam alium nisi verum Deum indigitari videmus. Non enim iis sed huic soli *fuisse*, *esse*, & *futurum esse* convenit, omnia enim extra Deum vel semel non fuerunt, aut iam non sunt, & certe in futurum semel non erunt; de Deo autem eo tempore quod *fuisse* dicimus, de eo *esse* dicendum est, & *futurum* etiam non desinentiam, nec initium venturi in illum involvit, omnia enim praesentia sunt illi, ideo nomen hoc, quod *existens* eo modo exprimat, ut se humano captui accomodans semper *fuisse*, *esse* & *non desinere* innuat, nulli

huic unico competere videamus. Hoc enim heic vocabulo peculiare esse perspicimus, quod tria tempora in litteris coniungat, licet in pronuntiatione, quomodocumque fiat, nec eodem momento indigitare, imo nec quidem aequaliter, ut reflexio non ab uno magis recedat, & alteri appropinquetur, concipere valeamus. Optima demum nobis vel argumenta vel ideas subministrare videtur *Eius qui est* omni *praeterito*, & *praesenti*, & *futuro nobis tempore*, magnificentiam omnipotentiae suae sibique soli convenientis demonstrans eo magis, quo licet tanta in uno apprehendamus, & complecti admiremur, ideas tamen nostras, ut ea concipiamus, verba, ut proferamus, nos variari oporteat. O magnum firmissimumque unitatis principium! quod si nec eodem actu intueri, concipere, & pronuntiare possibile est, minus cuiquam nisi soli Deo, cui hoc convenit, illudque ut dixi includit, *esse*, *fuisse*, & *futurum esse semper*, *omni aeternitate*, *indivisibiliter*, & *necessario* possibile erit. Quo deficiente Divinitatis perfectio ab omni nisi ab illo adimitur, & in illo solo includitur. Arcana huius vocis applicatio est, ut dum sola in oratione adhibetur, & sine adiuncto usurpatur, Deum Isdraeli responsis, oraculis, promissis, atque beneficiis ad salutem felicitatemque spectantibus cognitum interpretari convenit, ut in *Psal.* 26. *Dominus illuminatio mea*, & *salus mea*, *quem timebo*, *Dominus protector meus*, *a quo trepidabo? Psal.* 4. *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. Psal.* 50. *Miserere mei Domine*

mine secundum magnam misericordiam tuam; aliisque pluribus in *Ioseph. Ariae Mont.* collectis scripturae locis, ubi nomen hoc ad recordandas promissas Dei misericordias, vel adiutorium adsumitur.

Secundum est, אל El, per quod primo insignis Dei fortitudo assignatur, ita ut recte *Deus fortissimus* interpretari possit, ut & factum est: *Gen.* 33. *Et erecto ibi altari invocavit fortissimum Deum Israel. (El Israel) Secundo*: utitur eo scriptura ad confundendam imbecillitatem nostram, vel Idolorum, eam comparans cum fortitudine, efficacia, vel bonitate sua, ita ut comparativum dici valeat, sic: *Is.* 31. *Aegyptus homo est, & non Deus (Adam, & non El) Os.* 11. *Deus ego, & non homo*; Sic de Idolis, & se comparative loquitur *Ipsi provocaverunt me in eo, qui non erat El, Deut.* 32. Ideo eius nomen eiectis idolis super aram nomen El invocat Iacob *Gen.* 33. ideo etiam non potuit Abraham cum Regibus Pentapoleos loquens in iuramento suo quod emittit, melius, per quem se Deum iuret, distinguere, illi enim, ut gentiles per proprios Deos seu idola iurassent, quam dicens: *Gen.* 14. 22. *Levo manum meam ad El Excelsum possessorem Coeli, & Terrae*. Ideo Princeps spirituum, qui pro Israel in Daniele contra spiritum Regni Persici, & Graecorum, qui Idololatrae erant. Item in Apocalypsi contra Draconem Deo rebellem praeliatur, nomen *Michael* ex *El* & interrogatione *Micha* compositum recte obtinuit, *Quis ut Deus:* nomine suo inimicis & gentibus exprobrans,

ac

ac ostendens. *Tertio* cum omnis potentia, facultasque quidpiam agendi, vel vires a Deo sint, etiam *El* addito vocabulo: *manus*, alicui, qui omnimodam in aliqua re, nec naturaliter fors impediendam potentiam habet, attribuitur. Ratio autem additionis vocabuli *manus* est, Deum solum non tantum a se, sed etiam sine omni instrumento, vel externo adminiculo potestatem habere quaecunque agendi, hominem autem non nisi per vias instrumentorum necessariorum seu adminiculorum sibi, ut dixi externorum, quid etiam minimum aggredi posse inter quae certe principalius nobis a Deo datae sunt *manus*, ita ut antonomastice omnia alia includere videantur, quia cuncta eorum gerere, cunctaque tractare debent. Ideo Laban potens ad nocendum, dum Israel insequitur, dicit ei: *Est manus mea El, ut tibi reddam malum*; cuius paraphrasis est: & potens essem ad tibi malefaciendum, nilque mihi naturali ratione obstare posset. Videmus postea eadem, ut dixi, ratione *El* eodem vocabulo cum variis virtutibus componi in nominibus propriis spirituum, & hominum, ut in *Gabriel*, *Raphael* &c. quae *fortitudinem Dei*, *medicinam Dei*, similiaque dicunt, ut veram fortitudinem, veramque medicinam, omniaque a vero Deo *El* non ab Idolis quaerendas provenire carnali populo innueretur.

Tertium, quod Divino nomini adiungitur celeberrimum est: שדי *Schadai*, quod *Omnipotens* reddere solemus, iis autem potissimum omnipotentiae signis applicatur, quae ad

ad felicitatem, & benedictionem pertinent: In hoc nomine dicit Deus se apparuisse Abrahae *Ex.* 6. antequam nomen suum tetragrammaton populo una cum lege revelaret; Quod sic explicandum est: Omnipotentiam meam, in qua illis tam mirabiliter per prodigiosa beneficia apparui, non autem cultum meum, in quo sub nomine *Iehueh* pronunciari, & adorari volo, per legem ut vobis modo latam aperui. Nec vana est mea interpretatio, quia in eodem sensu benedictionis *Gen.* 17. dicitur: *Ego Schadai: ambula coram me, & esto perfectus*, & paulo post: *& multiplicabo te vehementer nimis*. *Gen.* 28. *Deus Schadai benedicat tibi & crescere te faciat atque multiplicet, ut sis in turbas populorum*. *Gen.* 48. *Deus Schadai &c. benedixit mihi*. Sic ergo *El Schadai*, verbo *Deus omnipotens ad benefaciendum*.

Quarto venit אלוהים *Elochim*, quod primo *Conditorem*, *Rectorem*, *Gubernatorem*, *Iudicem* & *Principem* demonstrat, & in talibus, quae ea involvunt, occasionibus adhiberi solet. Conditoris exemplum est. *Gen.* 1. *In principio creavit Elohim Coelos, & Terram*. Iudicis. *Gen.* 6. *Elohim dicit ad Noe finis universae carnis venit coram me*, Diluvii sententiam pronunciat; gubernatoris, rectoris, & conservatoris in sequenti: *Recordatus est Elohim Noah, cunctorumque iumentorum, quae erant in arca*; Principalis: *Rex omnis Terrae Elohim*. *Ps.* 46. *Secundo*: videmus *Elohim* etiam non Divino tantum, sed etiam cuicunque creaturarum regendi, gubernandive muneri, quod

quasi

quasi divinitatis particula dici potest, tribui in hoc sensu *Ps.* 149. *El Elohim Dominus*, idest: *Deus dominantium dominator*. In quo sensu *Pagninus*, & *Arias* 2040. *in V. T. loca*, ubi voci *Elohim* nulla alia explicatio sine absurditate quadam tribui potest, numeravere.

Quinto Deo nomen צבאות *Zabaoth*, primo ab Hanna Samuelis matre postea saepius adiunctum videmus, quod nos *Deum Exercituum* vertere solemus, & nil aliud nisi *fortissimum*, *terribilem*, *promptissimum ultionum Dominum* intelligimus. Sive nomine exercituum spirituum copias, innumerabilium siderum virtutes, & ex iis procedentia tonitrua, fulgura, grandinesque: aut bellum, famem, & pestem, aliasve creaturas, feras non tantum, sed & imbecilles locustas in flagellum nobis immissas, quarum se ipse Ducem nominat in *Ioel.* 2. intelligamus, in hoc sensu *loquitur Dominus Deus Zabaoth fortis Israel. Heu ego consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis*. *Is.* 1. Ad hunc Deum vindicem clamant oppressi in *Epistol. Iacob.* 5. *Et clamor eorum in aures Domini Dei Zabaoth introivit.*

Sextum occurrit iah יה *Ens* quod primarias duas litteras supremi nominis & radicis eius *haiah* continet, & igitur abbreviatio eius dici potest, quo nomine cum voce *allelu* iuncto pleni sunt psalmi; & *laudate Dominum* dicit, Ecclesiaque Catholica id pro festiva Divini nominis celebratione ac laudis acclamatione in latinum usque sibi assumpsit & retinuit.

Septi-

Septimum addimus קדוש *Kadoſch*, quod Graeci: *αγιος*, Latini *Sanctus* vertunt. In quo Sanctitatis ſenſu ab idolis in verſione diſtinguitur ut in *Pſ.* 113. *In exitu Iſrael de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro, facta eſt Iudaea ſanctificatio eius, Iſrael poteſtas eius.* Videmus hic per hanc *ſanctificationem*, quae electio & obſervatio legis Moſaicae, eſt populum Iſdrael ab Idololatris diſtinguit; ſic ut hic populus ab aliis per vocem *ſanctificatio*, ſic Deus verus ab Idolis per *Kadoſch*, ideſt: *Sanctus* diſtinguitur: 1. *Sam.* 2. *non eſt Kadoſch ut eſt Dominus, non eſt Deus ſicut Deus noſter.* Ideo Bethſamitae exclamant: *Quis poterit ſtare in conſpectu Dei Sancti huius.* 1. *Sam.* 6. *Cui exprobaſti, quem blaſphemaſti? contra quem exaltaſti vocem tuam, & elevaſti in excelſum oculos tuos? Contra Sanctum Iſrael.* 2. *Reg.* 19.

Vltimum reſtat *Adonai*, quod ſemper *Dominus* vertitur, & in litterali ſenſu etiam quemcunque *Dominum* aut *Regem* indigitare poteſt ut: Dixit *Iehueh*, *Adonai meo*, *Dixit Dominus Domino meo.* *Pſ.* 109. ubi litteralis ſenſus *Regem Davidem* indigitat, licet prophetiae allegoria ad altiorem nos deducat interpretationem; huius vocis puncta eorum inventores Rabbini, litteris tetragrammati ſubpoſuere, verae non ſolum quia inſcii lectionis, ſed & quia hoc pro illo legi voluerunt.

Nos autem, qui nec Iudaeorum legibus tenemur, nec ſuperſtitionibus vincimur, liberum habemus effari illud, eo, quem iuſtum credimus, modo, nec punctis falſo ab Adonai

nai vel Elohim mutuatis obedire cogimur. Nomen Ischadai benefactoris adorare beneficiis obligati ut mercenarii Patriarchae, cum servitio, & lege nomen acceperunt tetragrammaton selectus servorum populus iam Entitatis revelatione erectus, carnalibus tamen verbis nomen Dei exprimi posse credens, quod & illis necessarium fuit revelari, ne eundem cum gentium idolis opinarentur & saltem nomen eius, si non aliud retinerent; Nos autem feliciores, quibus non nomen quoddam, sed ipsa SS. Trinitas, Prophetarumque expectatio in Christo, & Ecclesia revelata fuere.

Adoremus ergo *Deum, qui fuit, est, & erit, in Iehueh:* Serviamus sub *El Domino fortissimo, omnipotenti, & Excelso:* Gratias agamus tanto *benefactori Schadai:* Ponamus in *Elohim Gubernatorem Rectorem, & Principem* omnem fiduciam nostram: Timeamus *Zabaoth Deum exercituum terribilemque ultionum Dominum:* Laudemus *Ens Entium Dominum: Sanctificemus,* servitium Dei *Kadosch Israel,* ut non frustra cum Iudaeis clamemus *Adonai, Adonai,* sed possideamus eum per *Iesum Christum Dei filium,* in cuius nomine omne genu flectatur caelestium, terrestrium & infernorum, & exclamet omnis chorus *Amen, Amen, fiat fiat.*

Quia proximum locum tam natura, quam dignitate post divinitatem obtinet spiritus, pauca hic de illo adiungere non taedebit. Spiritus etiamsi figuram quandam prae oculis ferat, ut *Differt. IV. de. Apparit.* dicemus tamen veram carnem, & ossa non habet: *Luc.* 22. Brevissima ergo spiritus descriptio est, ut

sit

ſit natura corporis exſpers, intellectus particeps, actionis compos *Thom. de ente & eſſent*. *Primo* Angeli, quorum quidem unam naturam, variorum tamen ordinum diſcrimina eſſe volunt ſubinde intelliguntur, de quorum ordinibus diſſerere, atque, quae vel SS. paginis, vel traditione veneranda, aut populari tandem fabula creata ſint anguſta tabula prohibet. *Secundo* Spiritus eſt oppoſitus carni, ut Deus Idolis, vel homini ſupra apud *Pſ.* 31. *Aegyptii homo & non Deus, & equi eorum caro, & non ſpiritus*. *Tertio:* pro quadam celeritate: *Qui facis angelos tuos ſpiritus Pſ.* 103. *Quarto Spiritus* etiam ſpiritualia divinae legis iuſtificationi, & ſanctificationi appartenentia dicit. *Ex operibus legis ſpiritum accepiſtis Gal.* 3. *Quinto* pro animi impulſu ideo ſpiritus triſtis, laetitiae, irae indignationis nominatur. *Qui autem ſpiritu anguſto eſt, exaltat* ſtultitiam ſuam.

Hoc ſufficiet, ne longiori protractu lectori primi ſtatim diſcurſus taedium pariamus & nauſeam, quam non melius ac de diverſa claſſi quantocius diſſerendo, levabimus, ſacra profanis miſcendo; venienteque folio Amazones ex hiſtoriis eruemus.

DISSERTATIO II.

Seu Historia Amazonum in seriem redacta.





E variis interruptionibus, & separatis, quae tamen hucusque nullum corpus effecerunt, fragmentis lectorem magis distrahamus, quam ut ille eruditionis exinde capiat argumentum, excerpta ex omnibus in unam, quantum fieri potest historiae seriem reducemus, quae dum, ut brevitas statuta admittet, redactae fuerint, quid de iis sentiendum sit, adiungemus.

Antiquissimum Amazonum genus fuisse Lybicum, Diodorus Siculus ex Dionysio enarrat, eiusque Ducem Myrinam in Aegyptum ad Orum Isidis filium venisse, quae contracta cum eo amicitia Arabiam, Syriam, Ciliciam, Phrygiam & alias regiones subiecit, militiae tandem finem Caicum flumen statuit, Ninam, Cumam, Pitanam, Prienen civitates aedificavit, aliquibus postea insulis in potestatem redactis in Lesbo Mytilenen, nomine sororis suae una cum illa militantis coloniae indito, erexit. Porro Samothracen Magnae Matri, sub nomine Sacrae Insulae dedicat; Tota tamdem

natio ab Hercule Lybico multis ante bellum Troianum saeculis extincta est.

Secundum genus est Thracicum, de cuius origine, moribus, & historia haec narranda sunt. Duo inter Scythas regii Iuvenes Ylinos, & Scolopidus factione optimatum domo pulsi ingentem secum traxere iuventutem, & in Cappadociae ora iuxta amnem Thermodontem consederunt, subiectosque Themiscyreos campos occupavere. Ibi per multos annos spoliare finitimos adsueti conspiratione populorum per insidias trucidantur; Harum uxores, quum viderunt exilio additam orbitatem, arma sumunt, finesque suos summoventes, mox etiam inferentes bella defendunt. Nubendi quoque finitimis animum omisere, servitutem non matrimonium appellantes. Singulare omnium exemplum ausae auxere Rempublicam sine viris; Et ne feliciores aliae aliis viderentur, viros, qui domi remanserunt, interficiunt. Tum pace armis quaesita ne genus interiret, concubitum finitimorum ineunt, *Iust. II. 4.* Qui quocumque modo ad Helym fluvium quaerebatur. *Philostratus*. Maribus exinde ortis vel trucidatis, vel ut mavult *Stephanus* cruris rectitudine privatis: *Diod. sic. lib. 2. cap. 11. & lib. 3. cap. 4.* Duae his Reginae Marthesia & Lampeto, quae in duas partes agmine diviso inclitae iam opibus viribus gerebant bella, solae terminos alternis defendentes, & ne successibus deesset authoritas, genitas se Marte praedicabant *Iustin. loc. cit.* A quo institutas se esse dicunt, ut vitam armatam degant, Equi

in

in paludibus vicinis pascantur. *Philostratus*. Virgines ergo in eundem ipsis morem non otio, neque lanificio, sed armis, equis, & venationibus exercebant, inustis infantum mammis dexterioribus, ne sagittarum usus impediretur, unde Amazones dictae sunt, *Iustin. loc. cit.* quae tamen etiam *Aeorpata*, Αιορπατα nuncupabantur, ex Αιορ *vir* & πατα, quasi *viricidae*. *Herod. Melpom.* Non toto corpore vestitae, sed exusta mamma nude ostensa ingrediebantur, ut ex *Servio*, *Tryphiodoro*, *Virgilio*, *aliisque*, solo *Curtio lib.* sinistram fuisse fingente, sed incongrue. Scuto, quam *peltam* vocant levissimo, loreo, ut *Aelianus*, *Servius* lunato seu lunam semiplenam referente *Ald. Minut. de Epist. reb. lib. 1. cap. 6. & Pierius lib. 42. in scuto* non rotundo ut ex *Suida* πελτον, ασπις ιτυν μι εχυσα, quo etiam Macedones utebantur, ut *Livius*, *Plutarchus*, *Aelianus* ubique aiunt, *Virgilio*, *Plinio*, *Nonio* testibus distinguebantur. Maiore itaque Europae parte subacta, Asiae quoque nonullas civitates occupavere. Ibi Epheso multisque aliis urbibus aliis, etiam in partibus ut Smyrna, Cuma, Myrina, Papho conditis partem exercitus cum ingenti praeda domum dimittunt *ex Iustin. & aliis*, tamen non Ephesum, sed tantum templum sacrasse narrat *Mela lib. 1. cap. 17.* quod *Dionysius* confirmat.

Παρραλιην Εφεσον, μεγαλην πολιν Ιοχεαιρης
Ενθα θεῃ ποτε βωμον Αμαζονιδες τετυχοντο
Πρεμνῳ ενι πτελεης, περιωσιον ανδρασι θαυμα.

 Cal-

Callimacus ſtatuam Dianae ſub fago non autem ſub ulmo ab Amazonibus ſacratam refert.

Εν κοτε παρραλιῃ Εφεσυ βρετας ιδρυσαντο,
Φηγῳ υπο πρεμνῳ.

Reliquae, quae ad tuendum Aſiae Imperium remanſerant, concurſu Barbarorum cum Martheſia Regina interficiuntur. In huius locum filia eius *Orithya*, quae aliis *Sinope*, & civitatem *Sinopen* ſtabilivit, regno ſuccedit: cui praeter ſingularem belli ſcientiam eximia ſervatae in omne aevum virginitatis admiratio fuit. Huius virtute tantum additum gloriae & famae Amazonum eſt, ut Herculi Rex Mycenarum Euriſtheus odio Iunonis obſequens, inter debita duodecim ſtipendia, quaſi impoſſibile iniunxerit, ut arma Reginae Amazonum ſibi adferret. Eo igitur profectus longis novem navibus comitante Principum Graeciae iuventute inopinanter aggreditur. Duae tum ſorores Amazonum regna tractabant Antiope, & Orithya; ſed Orithya foris bellum gerebat; igitur quum Hercules ad littus Amazonum applicuit, infrequens multitudo cum Antiopa Regina nihil hoſtile metuente erat. Quare effectum eſt, ut paucae repentino tumultu excitae, arma ſumerent, facilemque victoriam hoſtibus darent. Multae itaque caeſae, captaeque *Iuſt.* quibus tres naves implevere Graeci, patriam repetentes, inſidiatae autem his in pelago feminae *cunctos* malo plurimos (Evaſit enim Hercules & Theſeus) tru-

trucidavere *Herod. Melpom.* Captas inter, praecipuae fuerunt duae Antiopae sorores Menalippe ab Hercule, Hyppolite a Theseo; sed Theseus obtenta in praemium captiva eandem in matrimonium assumpsit, & ex ea tristi fine notum genuit Hyppolitum. Hercules post victoriam Menalippen captivam sorori reddidit, & pretium arma Reginae accepit. Atque ita functus imperio ad regem revertitur. Sed Orithya, ubi comperit bellum sororibus illatum, & raptorem esse Atheniensium principem, hortatur comites, frustraque & Ponti sinum, & Asiam edomitam esse dicit si Graecorum non tam bellis quam rapinis pateant Auxilium deinde a Sagillo rege Scythiae petit; motus ille domestica gloria mittit cum ingenti equitatu Panasagorum in auxilium; sed ante praelium dissensione orta ab auxiliis desertae bello ab Atheniensibus vincuntur, receptacula tamen habuere castra sociorum, quorum auxilio intactae ab aliis gentibus revertuntur *Iust.* Huc mihi venit referri continuationem Herodoti debere ex *loco sup. cit.* Dum naves ascendunt, ut vult autor, partas, nec gubernaculo, aut velis, aut remis uti scirent, interfectis viris ferebantur secundum tempestatem, & ventum; Delataeque sunt ad paludis Maeotidis praerupta, quae Sytharum liberorum telluris sunt; Ibi e navibus egressae Amazones ad loca habitata iter facientes, equos e pascuis rapiunt, conscendunt, & e Scythis praedas agunt; Qui ob ignotam veste, & voce gentem admirati, dum aliquas comissa pugna

capiunt, feminas esse agnoscunt. Statim illas sibi non occidendas, sed connubio iungendas resolvunt; familiares sibi facti, commiscentur, quia feminarum linguam addiscere nequeunt, in sua illas instruunt, & cum illis traiecto Tanai, & a Tanai trium dierum itinere Orientem versus totidem a Maeotide palude, & Aquilone confecto ibi subsederunt. Inter quos postea cum viris una venabantur, & praeliabantur, eadem qua viri stola utentes. Nec aliqua nubit virgo prius quam aliquem hostium occideret, ideo multae innuptae senescunt. Scythae hi Sauromatidae, etiam γυναικοκρατυμενοι *gynecocratumeni*, quod victricibus obsequantur, appellati fuere, teste *Plin. lib.* 6. *Herod. lib.* 4. *seu Melpom.* Post Orithyam Penthesilea Regnum potita est, cuius Troiano bello inter fortissimos viros, quum adversus Graecos auxilium ferret, magna virtutis documenta exhiberet, haec est, quae

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet
Aurea subnectens exertae cingula mammae
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo
Virg. Æneid.

Interfecta demum est Pentesilea ab Achille *Iust.* & *omnes alii*, a Neptolemo obtruncata *lib.* 4. *Dares. solus.* exercitusque eius absumptus. Superius dictis rationibus bene *Virgilius: Seu cum se Martia curru, Penthesilea refert* 11. *Aen.* eiusque elogium pulchre ex Tryphiodoro vertit Xylander.

Tunc

Tunc & Amazonides a Thermodoonte feroci
Innuftae tenerae, quae propter praelia mammae
Foecundam exurunt toto tenus orbe papillam,
Plangebant armis praeclaram Penthefileam
In varios veniens, quae caecus Martis anheli
Feminea multos dextra dare terga coegit,
Ipfas ad naves, nubem repulitque virorum,
Solus & Aeacides congreffum illius Achilles
Subftinuit, valida, & traiectam comminus hafta
Ad manes mifit, cum vitaque exuit armis.

Paucae, quae in Regno remanferant, aegre fe adverfus finitimos defendentes ufque ad tempora Alexandri M. duraverunt. Quarum tunc Thaleftris, five Minythaea Regina pulchritudine, & corporis robore exfcellens valde femina *Diod. Sic. in Alex.* cum CCC. mulieribus vigintiquinque dierum inter confertiffimas gentes itinere confecto ex Rege dignos amborum parentum heroicis virtutibus liberos quaefitura occurrit, cuius confpectus adventusque admiratio omnibus fuit, & propter expetitum concubitum, Prolem feminei fexus retenturam, marem reddituram patri adferuit; Alexander, an cum ipfa militare vellet, interrogat: & illa caufata fe fine cuftode regnum reliquiffe, petere perfeverabat, ne fe irritam fpei abire peteretur. In obfequium procacis Amazonis; ut illam *Orofius* nominat, Rex 13. diebus fubftitit; & ut vi-

ſa eſt, uterum impleſſe, magnis muneribus dotatam dimiſit. *Clitarchus*, *Diod. Si.. in Alex. Curt. lib. 6. cap.* 10. *Iuſtin. lib.* 12. 3. illa in Regnum reverſa brevi tempore cum omni Amazonum nomine intercidit. *Iuſtin. lib.* 2. 4. Adhuc aliqua earum nomina celebrium ex illis Heroum *Euſt. in Dionyſ.* 110. Trallam, Nacroteam, Thibam, Tallam, Smyrnam narrat.

Tertiam non tam hac Regione cognitam Amazonum Slavicarum in Boemia ab Aenea Sylvio, Hayecio, Ioanne Dubravio Epiſcopo Olomucenſi graviſſimo alias ſcriptore traditam hiſtoriam hic adiungam. Secunda poſt Czechum Regni fundatorem dicitur Libuſſa Rex, quae poſtea optimatibus feminae non parentibus Premislao nupſit. Moritur Libuſſa Premislao iam ſene; Vlaſta magiae, & Divinationum Reginae conſcia illi erat ancilla, quae etiam gyneceo, & arci eius *Libuſs* praefecit, illos armat, hancque arcem Libuſs contra viros equeſtri, & pedeſtri cohorte non tantum ex virginibus, ſed & maritis male conviventibus feminis iuncta defendere, libertatique ſe aſſerere volunt. Princeps auguriis credens omnia ab illis vaſtari permittit, dicens non eſſe adhuc reſiſtendi tempus; Cuius conſilium non expectantes praelium cum feminis ineunt, quae illos quatuor turmis, ſub illarum praefectis Milada, Hodeca, Svatava, Radeca aggrediuntur, & vincunt; nullus amplius, niſi paucula iuvenum turba illis congredi audet, quae in inſidiis poſita aliquas feminas necabat. Componi

ergo

ergo iussit litteras Vlasta, pulchriorum puellarum nominibus subscriptas, quae sex nubendi desiderio arcem illis tradere velle aiunt, si noctu sub arcem pauca cohorte venirent, veniunt incauti iuvenes, & crudeli caede necantur. Luce orta nuncius rei gestae ad Stiradium praecipuum regi a consiliis virum venit, qui Regem ex auguriorum somno excitare, & ut regnum a latrociniis mulierum defendat, persuadere frustra conatur. Scivere ergo feminae, hunc sibi infensum esse, & dum sylvam transire debet, virginem, Sarcam nomine, arbori alligant nudam, quae magnos eiulatus emittens Stiradii curiositatem allicit, ut equos cum comitatu descendat, illamque sic, ut ferebat a Tyrannica Vlasta expositam liberet, quae interim illi poculum, quod penes illam callide una cum venatorio cornu relictum erat, propinat, mulsoque praeparato mente captum reddidit: ille bibit, ista cornu sonat, quo signo absconditae mulieres prorumpunt, eius comitatum necant, ille captus ad arcem Libuss ducitur, rotisque discerpitur. Septennio haec duravere: tandem princeps, quasi se Regno dimittere vellet, fingit, illamque, ut Regiae Arcis Vicegradi p ssessionem suscipiat, invitat, deceptae feminae credunt, & necantur.

Quartum magis modernum Thrasonibus Hesperiis debemus commentum. Franciscus Orelhanus Gonsalvi Pizarrii armorum praefectus, & Provinciae Quitensis in Regno Peruviano praeses Anno MDXXXX. ad detegendum magis fluvii, quem sui nomine Orelhanum appel-

pellavit, cursum, conscendit navim, aliquos post itineris dies feminas quasdam uni populo bellatores esse ab aliquo Cazico seu Regulo audivit. Occurrentibus ergo illi paucos post dies una cum viris armatae, permixtaeque illis feminae, iam se Amazones invenisse credidit, & in Hispaniam rediens tanta fabula thrasonem egit, ut nomen fluvio *Amazonum* remanserit. *Caet, Hist. du nouveau mondes, Relation de la reviere des Amazones.*

Alter nostris temporibus Lybicus non Hercules sed nugivagus exstitit *Iuan de los Santos*, qui in Aethiopia se tales invenisse iactitabat, quod ab omnibus itineratoribus subsequentibus, merito reiectum est. Haec ex *Iustin. lib.* 2. 4. *lib.* 12. 3. *dictus lib.* 3. *Herod. lib.* 4. *Diod. sic. lib.* 2. 31. *lib.* 3. 4. *Oros. lib.* 1. *cap.* 15. *Pausan. lib.* 1. *Dares lib.* 4. *Curt. lib.* 6.

An ergo omnia fabulae creduli sequemur? vel an tantum historiae antiquae ornamentum eliminabimus? Graecis cunctos suis Heroibus, Herculi, & Theseo attributos labores ad illorum gloriae immortalitatem, necessariis prodigiorum circumstantiis, ut laudem suorum cum admiratione copularent, adornasse omnibus in locis deploranda figmentorum rudera ad nos usque pervenerunt.

Vt *Strabo lib.* 11. non male earum fines, cum aliis statuit, Rempublicam tamen aliquam vel sine viris administrari, vel feminas tot Regionum viros vincere potuisse, negat, nisi omnes feminae viri, viri autem feminae factae fuissent. Si ergo quid in ea

re

re verum est, nil certe aliud erit, quam aliquos Barbarorum Scytharum populos, ita ad praedas exercitatos fuisse, ut & ipsas feminas ad hoc educarent, levibusque femineo sexui magis aptandis scutis armarent; illas ergo non alias unquam quam Sauromatarum uxores, non regentes exstitisse, communemque illis vitam duxisse, nunquam autem Sauromatidas ditiones exteras sibi subdidisse legimus; ad rei ergo prodigium magnificandum tota Themyseyrei Regni poesis efficta est, unde illas more Graecis diverso feminas descendere vellent; tales populos exstitisse pulcher est *Hypocratis* textus C. *de aere, aquis & locis*, cuius summam sic enarrare volumus.

Εν δε τη Ευρωπη εστιν εθνος Σκυθικον ο περι την λιμνην οικει την μαιωτιν διαφερον εθνεων των αλλων Σαυρομαται καλευνται. τουτεων αι γυναικες ιππαζονται τε και τοξευουσι και ακοντιζουσιν απο των ιππων, και μαχονται τοις πολεμιοις, εως αν παρθενοι εωσιν. ουκ αποπαρθενευονται δε μεχρις αν των πολεμιων τρεις αποκτεινωσι, και ου προτερον συνοικεουσιν, ηπερ τα ιερα θυουσαι τα εν νομω. ηδ αν ανδρα εωυτη αρηται παυεται ιππαζομενη, εως αν μη αναγκη καταλαβη παγκοινου στρατιας. τον δεξιον δε μαζον ουκ εχουσιν.

In Europa gens est Scythica circa Maeotin paludem sedes habens, ab aliis populis plurimum differens Sauromatae nominati; horum uxores equitant, & arcubus, & iaculis ex equis utuntur, & cum hostibus pugnant tantisper dum virgines permanserint. Neque vero virginitatem ponunt, donec

nec tres hostes occiderint. Quae vero marito nupserit, cessat ab equitatione, donec opus non est, exercitu e totius gentis universitate collecto; Carent autem dextera mammilla. An Sauromatae sint Cimmerii, meum hodie non est cum Goropio Becano contendere. Populum tamen talem quendam fuisse cum omnibus dictis Authoribus, ipsoque Homero, quid de Myrinna commemorante sed fabula poetica nimie depictum est. Talis etiam populi ferocis in Amazonibus Americae, de quibus supra locutus sui, videmus exemplum. Hoc etiam unicum est, quod ex locorum, & climatum diversitate eruendum est, feminas viris cohabitantes, quasi viri ipsi, fieri posse generosas, educatione adiuvante, & Regionis penuria id petente. Nunquam autem id exinde effectum est, ut Respublica sine viris propagetur. Quod si, ut certum est, aeris intemperies causare nequivit, minus, quae se coeundo, viris submittere coguntur, natura ipsa dictante, iugum illud detrectare, vel excutere poterunt. Non alio sensu verum est: *Ingenia hominum ubique locorum situs format. Curt. lib.* 8. Invenias enim fere semper & formas hominum & mores regionis affines, & inter se choaerentes. Ευρησεις γαρ δπι το πλητος, της χωρης τη φυσαυαχο λυθουντα και τα ειδεα των ανθρωπων, και τυς τρωπυς. *Hippocr. lib. de Aere. loc. & Aequ.* Ita Regiones vastiores, sylvisque spissioribus tectas barbariei incrementis deservire; potuit saepius soli miseria vel solertem populum ad industriam commercii compellere, maxime si situs mari adiacens navi-

navigiis aditum praebeat, vel fluminum curſus mercium commeatus facilitet, prout in Batavia videmus, quae eadem his adminiculis deſtituta ratio, Arabes bellatores facit & latrones. Sic mores hominum, & ſtirpium ſemina ad regionis habitum formantur. Aptata etiam corpora moribus & climati ubique videmus. Omnia ergo quae dominus Petitus in tractatu de Amazonibus, ad integram illorum hiſtoriam defendendam, luci profert, ad nil aliud deſervire queunt, quam ut Scythicam barbariem duriorемque tum ſoli tum ſeminis indolem educationem tam monſtruoſam adiuviſſe credamus; Nec per hoc illas nunquam exſtitiſſe inficiamur, quas coniugatas Sauromatarum coniuges viris ipſis generoſa feritate aequales credimus. De exuſta mammillas neſcio, quid dicam: non enim facilius enormia credo. Quis ſcit, an non propendentia fors, ut Lybiae populis, ex quibus Sauromatas veniſſe non impoſſibile eſt, ubera, quae feminae ob incommoditatem poſt terga iaciunt in hodiernum diem, Graecis ubera dexterae, quae ne arcus impediretur, a tergo pendebant, altero dimiſſo, fabulae, & nomini Amazonum locum dediſſe potuerunt. Hoc ſcimus Alexandri temporibus haec barbariei monſtra non exſtitiſſe, nam ab accuratiſſimis ſanae mentis autoribus Ariſtobulo, & Ptolomeo quidquam de iis non perhibetur, nec Xenophon Alexandro antiquior, qui Colchos & Phaſios, caeteroſque a Graecis Trapezunta petentibus, & revertentibus viſos Barbaros accuratiſſime nominat,

nat, nec verbo mentionem earum facit. Quid autem tantae de Thaleſtri fabulae locum dederit vid: *Arrian. de Exped. Alex. lib. VII.* Eo loci Atropates Mediae Satrapa centum ei mulieres dedit, quas Amazones eſſe dicebat, habitu virorum quidem equitum ornatas, praeterquam, quod ſecures pro lanceis, & peltas pro ſcutis geſtabant. Minus veritati cohaeret poſteriores Amazones effingere ex Plutarcho: ac Albanis ex Thermodoontis montibus in praelio contra Pompeium ſuppetiis occurriſſe, argumento ex peltis in ſtrage inventis deſumpto, quia primo non Plutarchus hoc factum fuiſſe, ſed rumorem eius exortum perhibet, cui quarundam peltarum vicinis Thermodoontis montibus occaſio, lippis tonſoribuſque notam, fabuloſam Amazonum traditionem renovavit; qui unquam in caſtris militaribus fuit, ſciet ipſe, quae tempore belli, mirabiliorum amatoribus fabulae leviſſima quacumque occaſione cudi ſoleant. Quod ex ipſo Plutarcho videmus, qui nullum muliebre cadaver ex parte hoſtilis ſtragis inventum fuiſſe narrat. Et ſi etiam aliquando poſt Sauromatas aliquod femineum cadaver in ſtrage occubuit, ut in *Hiſtoria Ottomanica in vita Selim Secundi* duas feminas necatas heroica morte & virorum clade legimus, non ſtatim ob unam, cui non recta ratio aut mens ſana imperabat, integram nationem effingemus. In Svecico exercitu Guſtavi Adolphi duae ſorores feminae una Oppaviae miles ſepulta, altera poſt multa acierum diſcrimina agnita filia a militari veſtitu ſemota


eſt;

eſt; Prima Chiliarchum, ſecunda ſigniferum agere meruere. Quis ergo exinde contra me Svecicas Amazones eſſe & exiſtere inferre poterit? Tales tamen ordinario ſunt ſequelae, quibus acerrimi Amazonicarum veritatum defenſores utuntur, ſed minus recte; Non ordinaria enim haec ſunt, alias omnibus naturae monſtris, has enim feminas indolis, & educationis monſtra appello, Regiones proprias aſſignare cogemur, & ad pygmaeorum Regiones duroſque de Grue triumphos devolvemur. Amazonum fabula omni tempore ita placuit, ut omnia Chronica & poemata ſibi quaſque effingere licerent, ut in Slavicarum hiſtoria, Virgilio, Arioſto, & aliis. Heu quanta ex fabula prodit ridiculus mus hiſtoriae!

Amazonia vocabatur, & Amazon pingebatur Commodo concubina ſua Martia, & Amazonium ſe ipſum in eius honorem dici paſſus eſt, unumque tanto ſcorto menſem Amazonicum dicavit, quis inter Commodianos menſes ſit huc non pertinet controverſia. *Lamp. vit. Comm.* Quouſque autem hic titulus? in ſequenti Diſſertatione Deo dante videbimus.

Quia autem multi circa Amazonicarum Reginarum nomina errores, una pro aliis maxime autem Hippolite pro Orithya ſumta, occurrere ſolent, hanc Reginarum Tabulam lectorum oculis ſubiiciemus, ex *Trogi Pompeii* abbreviatore *Iuſtino*.

Me-


Marteſia ------ Lampetho
Antiope ------ Orithya, quibus ſorores ſunt Hippolite & Menalippe a Theſeo & Hercule captae.
Pentheſilea
Nulla poſtea notae nobis ſunt uſque ad
Thaleſtrin.

DIS-

DISSERTATIO III.

Seu Lampridius ex se ipso correctus,
De mensibus Commodianis.





N praecedenti meo discursu aliqua de *Amazonio* mense obvie me dixisse memini, non male ergo nec inutiliter me quid agere existimavi, si Commodianos menses in ordinem redigendo, Lampridium sibi ipsi contradicentem e mendo restituam, & sic cuique, qui certum, quo quid sub Commodo actum sit, mensis tempus statuere velit, nullum amplius in rei gestae epocha dubium relinquam.

Lampridius, vel cuius liber est, alii enim Spartianum, alii Capitolinum volunt, *de vita Commodi* sic habet. *Menses quoque in honorem eius pro Augusto Commodum, pro Septembri Herculem, pro Octobri Invictum, pro Novembri Exuperatorium, pro Decembri Amazonium ex signo ipsius adulatores vocabant.* Cuius denominationis nobis paulo post ipse auctor exemplum his actis ostendit, eaque tam pro historiae quam nominum suorum autorithate adducit: & sunt.

Nominatus inter Caesares IV. Id. Octobr., quas postea Herculeas nominavit, Pudente, & Pollione Coss.

Apellatus Germanicus Id. Herculeis Maximo, & Orphito Coss.

Assumptus est in collegia Sacerdotalia Sacerdos XIII. Calendas Invictas Pisone, & . liano Coss.

Profectus in Germaniam XIV. Calendas . lias, ut postea nominavit, iisdem Coss.

Togam virilem accepit cum patre, appellat Imperator V. Calendas Exuperatorias Pollio iterum, & Apro Coss. ubi virgula transposit est, & sensum mutat. Non enim togam v rilem una cum patre accepit, sed una cum patre appellatus est imperator. Ideo virgul post *accepit* posita, nullum intelligentiae du bium remanebit.

Triumphavit X. Calendas Amazonias iisdem Coss.

Iterum profectus III. Non. Commodias Orphito & Ruffo Coss.

Datus in perpetuum ab exercitu, & Senatu in Domo Palatina Commodiana conservandus XI. Calendas Romanas Praesente iterum Coss.

Tertio meditans de profectione a Senatu, & populo suo retentus est; vota pro eo facta sunt Non. Piis Tusciano iterum Coss.

Ex quibus primo patet Lampridium *Octobrem Invictum* nominare, & acta, quae illum *Herculeum* dicunt, citasse, porro in alio Lampridii loco legimus excerpta seqq. *Post haec venia legis Annariae impetrata Cos. est factus, & cum patre Imperator est appellatus V. Cal. Decembris die Pollione, & Apro Coss. & triumphavit cum patre, nam & hoc pater decreverat.* Quas Calendas Decembris acta citata *Exuperatorias* dicunt, ita, ut a Lampridii

dii corrigendo Textu maxime differat, qui Decembrem *Amazonium* nominavit. Dicit ex Xiphilino Dio: *ita numerati sunt: Amazonius, Invictus, Felix, Pius, Lucius, Aelius, Aurelius, Commodus, Augustus, Herculeus, Romanus, Exuperatorius*. Quis ergo nunc dubitabit menses Dionis non iuxta seriem illorum continuam a Ianuario incipiendo numeratos fuisse, si hac serie retenta ipsis a Lampridio citatis, illum melius, quam proprius eius textus convenire videt? Sic enim *Herculeus* fiet October, *Exuperatorius* December, neque Dio potuisset intelligi, nisi a Ianuario incoepisset. An vero annus Commodianus a Ianuario incoeperit, rectissime quaerendum, tanto magis, quo nomina mensium nihil aliud quam nomina ipsa Commodi sint, quorum series a *Lucius* incipit, & eo modo, quo Dio menses, continuat. Ad hoc ergo respondebo: licet nihil nobis, quid eo mense gestum sit, ad eius rationem statuendam constet, tamen non sine causa hanc distributionem ita factam credere possumus, ut nec Lucius primum ordine, nec Commodus primum proprietate in Ianuarium incidat nomen; Sique nulla alia est, tam dementi animo fors nihil innovabimus, si id ad destructionem anni Iuliani atque Commodiani maiorem durationem factum fuisse credamus; Etsi autem annus Commodianus, cuius rei, licet id nequaquam incredibile sit, vel a Lucio, vel a Commodo mense inchoatus fuerit, nulla tamen est securitas, nihil nobis officit, quin Dionem seriem suam a Ianuario incoepisse arguamus, qui non amplius subsistente anno Commodiano, nam is post Ty-

 ran-

ranni mortem a Senatu abrogatus, Iulianuſque reſtitutus eſt, ſcribebat, dum non ſolum ultimum tam bene in Exuperatorium incidere videmus Decembrem, ſed & nominum ſeriem a Lucio uſque ad Pium conſueto more titulorum ſatis accurate currere videmus. Placet ergo mihi Dionis menſes Graecos, & Latinos noſtris Iulianis ſequenti tabula ad memoriam facilitandam aequiparare, & poſtea ex ea Lampridii locum reſtituere.

Αμαζονιος	Amazonius	Ianuarius.
Ανίκητος	Invictus	Februarius.
Εὐτυχης	Felix	Martius.
Εὐσεβης	Pius	Aprilis.
Λȣκιος	Lucius	Maius.
Αίλιος	Aelius	Iunius.
Αὐρηλιος	Aurelius	Iulius.
Κομμοδος	Commodus	Auguſtus.
Αὔγȣστος	Auguſtus	September.
Ηρακλειος	Herculeus	October.
Ρομαῖος	Romanus	November.
Ψπεραίρων	Exuperatorius	December.

Nunc ad Textum corrigendum Lampridii noſtri redeamus.

Textus	Correctus.
Pro Auguſto Commodum, pro Septembri Herculem, pro Octobri Invictum, pro Novembri Exuperatorium, pro Decembri Amazonium ex ſigno	Pro Auguſto Commodum, pro Septembri Auguſtum, Herculem pro Octobri, Romanum pro Novembri, Exuperatorium pro

ſigno ipſius adulatores vocabant.	pro Decembri, Amazonium pro Ianuario ex ſigno ipſius adulatores vocabant.

Ne autem quis putet locum hunc Lampridii ineptiae adſcribi debere, ut Caſſaubonus, & Salmaſius putavere, tam textum, quam correctionem vidiſti, ex quo non niſi deſcriptorum errorem, & libertatem inſcitia comitatam arguere poſſumus. Non potuit enim autor, quod ipſe e monumento citat, contrarium ſibi ipſi allegare. Sed unde depravatio? Primo noluit ineptus deſcriptor, quia non intellexit, vocem *Auguſtus* geminare, nec credidit nomen Auguſtus uni menſi adimi, & alteri reſtitui poſſe; Imperatoris Auguſti fuit nomen proprium, aliorum autem tantum laudis & encomii, ſic quod proprium Auguſto abſtulit, id ſibi alio adulatorium Commodus adiunxit. Vt autem unus error plures generat, ſic virgulas omnes una voce antevertit, ne September ſine nomine eſſet, & Herculeum ſequentis menſis acciperet; tanto plus, quo duo nomina ſe ſtatim ſequentia vidit, primum omiſit, ſecundum virgulam antecedere iuſſit; *Romanus* illi inuſitatus fuit, quia Romam Coloniam Commodianam neſcivit, & Herculi melius epitheton *Invictus* competere credidit: porro Ianuarium ad finem notare noluit, quia rationem, quare primus alias Iulianus menſis hic ultimus recenſeatur, ignoravit; quae mihi talis eſſe videtur, fors Commodianus ab Auguſto, qui Commodus dicitur incoepit, quod, quia tamen,

men, nam tot nobis Commodianas mutationes ex Theodosio, Xiphilino, a Dione, & Lampridio, Herodianoque narrantur, de initio mutato altum apud illos est silentium, plurimum dubito; Secundo, quia Lampridius tantum illos menses indicat, qui particulares illi sunt, nec antea aliis Imperatoribus communes apellationes, & nomina continent, nobis caeteris praetermissis indicare voluit, in his illum, quo ferebantur ordinem sequi debuit, qui est. *Commodus, Augustus, Hercules, Romanus, Exuperatorius, Amazonius*. Ita ut tamen Augustus praetermitti nequeat, quia intra ordinem, licet aliis Imperatoribus aequalis, incidit, & Amazonius ultimus dicatur.

Sed me Lectori non sufficere putarem, si notabiliora de mensibus Commodianis, & illorum denominationis praecipuas rationes tacere vellem. De *Amazonio*, cuius maxima posset esse difficultas, sequentia habentur ex Lampridio: *Amazonius autem vocabatur ex amore concubinae suae Marciae, quam pictam in Amazone diligebat, propter quam & ipse Amazonico habitu in arenam Romanam procedere voluit*. De quo tamen non sequitur vel illum in nummis sibi Martiam Amazonem sociasse, vel hoc nomen, quod privatim illi adtribui innuimus, suis publicis deliriorum denominationibus inseruisse, ut ex Xiphilino patet: *Imperator, Caesar, Lucius, Aelius, Aurelius, Commodus, Augustus, Pius, Felix, Sarmaticus, Germanicus, Maximus, Brittannicus, Pacator orbis terrarum, Invictus, Hercules, Romanus, Pontifex Maximus, Trib. Pot. XVIII. Imp. VIII. Cos. VII.*

Pater

Pater patriae, Consulibus, Praetoribus, Tribunis plebis, Senatuique Commodiano felici salutem. Quod si tam amplo & fastuoso deliriorum suorum catalogo publice scribens non ausit inserere, minus in nummis, qui publici iuris, se ausisse putandum. Laboriosissimus in tractatu infelicissimo de Amazonibus Petrus Petitus magnam inter Amazonicorum monumentorum sors non satis cautam congeriem adducit nummum cum capite Commodi corona radiata, adiuncta figura capitis muliebris, sub qua *pelta* adiuncta Amazonem declararet; Musaeum non citatur, pars adversa non apponitur, dicit sibi a Cl. Morellio missum fuisse, qui tamen ob facti raritatem alicui Thesauro inserendus fuisset, sed dubito, quod inveniatur. Nummum tamen ille ipse non vidit, sed tantum a dicto acceptam delineationem. Sine omni iniuria ergo auctoris, usque adhuc, nisi alio fide dignior inveniatur, explodendus est. Primo quia nummi tali capite muliebri, galeato tamen, adiuncto inveniuntur, nullaque in illis peltae est vestigium, ut ex his duobus, ex Musaeo experientia celeberrimi, & illustris antiquitatum discretione viri Baronis Philippi Stosch, a me adducendis patebit. Primum continet: Caput Commodi nudum cum capite Muliebri Galeato penes se habito, & inscriptione A. COMMODVS. AVR. P. FEL. AVG. BRIT. ex parte adversa: Caput Iani Bifrontis TRIB. POT. XII. IMP. VIII. COS. V. secundus: Caput Commodi laureatum eodem capite Galeato. L. AE. AVR COMMODVS. AVG. P. FEL. ex parte adversa: Venus coelestis se-

dens dextram porrigens puero, finistra hastam puram. TRIB. POT. XVII. COS. VII. IMP. VIII. Nec hoc postea tardius sibi quis putet adsumpsisse, quia non solum XII. trib. pot. sed XVII. in secundo nummo, XVIII. autem supra ex Xiphilino adduximus monumentum. Amazones etiam antiquis nunquam galeatae pingi solebant, Pallas semper; Semper autem nec peltam signum Amazonis esse maxime in aliqua figura galeata scimus; Ipse P. Petitus in suo nummo Thyatireno galeatam, togatam, & pelta armatam figuram, non Amazonem, sed Amazonicae Coloniae Thyatirae genium esse apte alibi iudicaverat. Quare autem Palladem sibi assistentem voluerit Commodus, delirium unica eius ratio est, & superbia, quae, ut Thetys Achilli, Aeneae Venus assistere dicebatur, sibi, qui se Herculem Romanum adpellabat, Palladem etiam peculiarem protectricem sapientiae, quae omnia mutabat; generositatis, quae cuncta vincebat, suae praeesse decreverat, quod & nummo sequente verum esse videbimus *Tristan. Comment. histor.* Caput Commodi laureatum AT. K. AI. ATPH. KOMOΔOΣ. pars adversa: Vulcanum ostendit, qui arma cudit, super incudem galea est, cui adstans figura galeata, cristata, togata, hastata manum quasi ordinando imponit, inscriptio: EΠ. ΣEΠ. *sub Septimio* Praeside provinciae, quae in parergo: ΘTATEIPHNΩN *Thyatirenorum* indigitatur. Nonne sic Vulcanus Achilli praesente Thetyde arma cudebat? Vides ergo Palladem Commodo protectricem nova Achillea fabula effictum. Male tamen doctissimus Harduinus The-
tidem

tidem dixit, quae nusquam armata videtur. Hoc nummo certe nullus Amazonem indigitari dicet? Sed Divinitatem, quae Imperatorii herois Divina arma curaret: Magis adhuc explodendum est pictoria inventione praeclarum Thalestris caput a Petito adductum. Nec apposita illo loco lucerna, in qua Achilles Penthesileae cadaver inter brachia tenet, quam Dominus Petitus non agnovit, ex armorum in circuitu pictorum copia, quid contra me agit, ubi arma non omnia Amazonis, sed & Achillis, qui post certamen ut & illa depositis armis ibi delineatus est, dicenda sunt: sic duas galeas vides, una Achillis est, secunda Penthesileae, in singulari fors certamine, ad armorum aequalitatem necessariam assumpta. Usquedum ergo melioris autoritatis peltata Amazone nummus ille non reperiatur, Commodi mensem quidem Amazonium unum fuisse concedam, nummis autem, publicisque titulis, & monumentis, hoc dementiae signum nequaquam illum apposuisse statuemus. Timeo ne fors ad faciliorem huius rei credulitatem adductus sit Dominus Petitus variis Crispinae nummis, qui hanc Commodi Augustam, magna Lunae crescentis figura ad latus exhibita nobis ostendunt; Lunam autem foecunditatis augurium fuisse, vide *Cl. Trist. ex Artemidoro:* qui, si coniuges de Luna, praecipue autem, si, quasi in speculo se in illa inspicere somniassent, progeniem portendi eis ferebat. Foecunditatisque parentem Lunam ita habitam, ubique & omni tempore tibi indigitare potero, sed hoc non ad nos.

Invi-

Invictus, qui nobis est *Februarius* ideo dicebatur, quia non solum iam cum Patre, sed & se III. & Burro Coss: de Germanis iterum Triumphavit, quos etiam antea Paterno legato, ut paulo post, Dacos imperium recusantes, & Brittannos, legatorum prosperitate subegit, felicemque in Pannoniam, & Mauritanos suo tempore expeditiones vidit, quod & illi Germanici, Brittannici, Sarmatici titulos meruit.

Tertius est *Felix*, nobis *Martius*, cuius ob binas rationes titulum Commodo attributum videmus. Perennis charissimus Commodo, qui illo interim helluone, omnia regebat, conspirans, detecta fraude hostis exercitus declaratur, militibusque traditur, ideo Felix Senatu irridendo annuente appellatur *Teste Lampr.* accedit Res eo anno in Sarmatia feliciter gesta.

Quartus nobis venit *Pius Aprilis*; Dixi antea in mensium serie ex Dione Titulorum ordinem satis accurate currere, accuratissime enim dicere non poteram: Video enim *Pius*, post *Felix*, dum ille ante hunc, in omnibus inscriptionibus, nummis, ipsisque, quos ex Xiphilino adduxi nominibus, patet, non solum ab hoc, sed etiam a cunctis Imperatoribus semper adhibebatur; Accedit anno iam praecedente titulum Pii sibi assumpsisse Commodum, qui ob Lucium Antistium Burrum matris adulterum consulari dignitate vestitum Senatu ridente sibi hoc nomen adscivit, quod in annum V. G. 934. A. C. 182. incidit, Perennis autem iam Mamertino, & Ruffo Coss. id est: anno sequenti occiditur,

tur, & *Felicis* nomen Imperatori morte sua formavit. An autem hic in mensibus vox *Pius* non etiam alium titulum, quem sibi postea Trib. Pot. XII. Crispino & Aeliano Coss., id est A. V. C. 940. A. C. 187. tribuerat, & est *Auctor pietatis*, includat, ignoramus. Ratio huius tituli Religio multis crudelitatibus restituta fuerat, de quibus tot nobis specimina narrant Lampridius, Dio, & Herodianus; Hoc anno capite Canini Anubis circuibat, ut plurimos vulneribus afficeret, innumerosque quasi nummos huius anni, tam Religionis immaniter restitutae, quam immerito adiuncti nominis monumenta omnia continent Musaea. Si ergo hic vox *Pius*, quae in nummis ob Burri Consulatum tantummodo lata est, & consueto nomen *Felicis* antecedit, adiunctam postea pietatis imaginarii Auctoris dementiam hic includit, merito mensi posteriori tribuetur, quod annis posterioribus factum, & adiunctum est. Nec tam male, quia anno etiam eodem mensis nomina mutari censeo, ut postea de Epocha mensium Commodianorum dicemus. Ad Religionem enim mensium, & annorum mutationes pertinuere. Ita ut sub hac pietatis authoritate, & restitutione numerari deberent.

Transeamus ad alios; *Lucius*, *Aelius*, *Aurelius*, *Commodus*, sunt *Maius*, *Iunius*, *Iulius*, & *Augustus*; Hic nil adnotandum esse censeo, fert enim antecessorum suorum, & Patris nomina, quibus tanto indignior, quo illorum moribus deformior; Accedit, quod ex Adulterio natus crederetur, sicque magis se Patris nomine insignire opus haberet.

De

De *Augusto* communi omnibus Imperatoribus nomine supra actum est, & fuit *September*.

Hercules demum est *October*, quem se, quod feras Lanuvii in Amphiteatro occideret, innumerasque Bestias interficeret, cum gladiatoribus in dies ferme pugnaret, dici voluit.

Romanus, qui *November*, ad *Hercules* pertinet; Hunc enim se distinguendo ab aliis Herculibus, ut Lybico, Graeco, & caeteris nuncupat, sicque credendum, quod hoc nomen, antequam Romam Coloniam Commodianam adpellaret, ut statim cum Hercule additam distinctionem sibi adscisceret.

Exuperatorius est *December*, quod in Cicerone, Martiali, & Ovidio, aliisque tam saepe occurrit, ut *Exuperare* omnes antecellere, omnique aequiparatione aut in sufficientia exclusa designare, quisque sciat. Nec ego inutilibus citationibus folium onerare velim, materia vires exuperante meas. Quem sensum etiam habet nummus dicti Musaei Stoschiani. Caput Commodi Laureatum: COMMODVS. ANT. P. FELIX. BRIT. ex altera parte: Iuppiter sedens, dextera fulmen, sinistra hastam puram: IOVI. EXVPERANTISSIMO. P. MAX. TRIB. POT. XII. IMP. VIII. COS. V. Vt ergo Iuppiter omnes Deos Exuperat, sic Commodus, Hercules Romanus, omnes Hercules Exuperasse credebat, & ideo *Exuperatorius* adiungit. Tanta enim gloria gladiatoriam palmam, quam quisque alius Triumphalem Coronam ferret, accepit, omnesque similes victorias publicis monumen-

numentis inferi mandavit. Scimus ergo pugnaſſe illum vivente patre 365., poſt patrem 7355.; Palmas gladiatorias 1000. vel victis retiariis, vel occiſis retulit; Baſi Coloſſi, cui caput ſuum impoſuit, ſubſcribi curavit. *Victor mille Gladiatorum*, Teſte *Herodiano*. Multa 1000. Beſtiarum, inter quas Elephanti, Tigrides, Hippopotami, aliaeque immanes ferae erant interfecit. Sed de hoc quantum ſufficit.

Transeamus nunc ad Epocham menſibus Commodianis ſtatuendam. Ex nummo adducto Iani Bifrontis, titulo Auctoris Pietatis, aliiſque Religionis reformationibus, quae inſimul Trib. pot. XII. incurrunt, illa etiam eorum initialis aetas eſſe videtur. Tanto magis, quo iam illo tempore omnia nomina, quae menſibus tribueret, ante hanc geſtaſſet ex dictis; Quia tamen vel memoria laberetur, vel revocatio faſtidioſa eſſet, Commodianam omnium tam titulorum quam geſtorum Chronologiam, ex Faſtis Conſularibus, Theſauris nummariis, Lampridio, Dione, & Herodiano hic reſtitutam ſubiicio.

A. V. C. 919.) A. C. 166.)	Nominatus inter Caeſares IV. Iduum Octobrium, ſeu Herculearum, Pudente & Pollione Coſs.
925.) 172.)	Adpellatus Germanicus Idibus Herculeis, ſeu Octobribus Maximo, & Orphito Coſs.
928.) 175.)	Princeps Iuventutis, Sarmaticus, impetrata venia Legis Annariae togam virilem accepit, in omnia Sacerdota-

A. V. C.

A. V. C. lia collegia assumptus est Sacerdos XIII. Calendas *Invictas*, Februarias, profectus in Germaniam XIII. Calendas *Aelias*, Iunias, labente Augusto, Augustus, & tribunitia Potestate donatus a Patre. Tri Pot. I. Pisone, & Iuliano Coss.

929.) Cum patre appellatus Im-
176.) perator V. Calendas *Exuperatorias*, Decembres, Triumphavit cum Patre X. Calendas, *Amazonias*, Ianuarias Trib. Pot. I., & II. Pollione & Apro Coss.

930.) Crispinae nubit. C. m-
177.) modo, & Quintillo Coss. Trib. Pot. II., & III. Imp. Iterum.

931.) Iterum profectus in Ger-
178.) maniam III. Nonas *Commodias*, Augustas, Orphito, & Ruffo Coss., victoria de Hermunduris, & Quadis, Inde Imp. III. Trib. Pot. III., & IV. Cos. Des. II.

932.) Germanos vicit Paterno
179.) Legato, Inde Imp. IV. Trib. Pot. IV., & V. Commodo Iterum & vero Coss.

933.) Moritur M. Aurelius, Im-
180.) perante solo Commodo, datus in perpetuum ab exercitu, & Senatu in Domo Palatino Commodiana conservandus XI. Calendas *Romanas*, Novembres,

A. V. C.

A. V. C. Praesente Iterum, & Condiano Coss. Cos. Des. III. Trib. Pot. V., & VI. Imp. IV.

934.) Triumphat Iterum de
181.) Germanis, Burrus ad Consulatum pervenit, ideo *Pius*, Commodo III. & Burro Coss. Trib. Pot. VI., VII. Imp. IV.

935.) Perennis occisus, res in
182.) Sarmatia bene gesta, ideo *Felix*, Sarmaticus, & Imp. V. Trib. Pot. VII., & VIII. Cos. Des. IV. Mamertino, & Russo Coss.

936.) Germani, & Daci per Du-
183.) ces victi, Ideo Dacicus, & Imp. VI. Commodo IV., & Victorino Coss. Trib. Pot. VIII., & IX.

937.) Brittanni per legatos vi-
184.) cti, ideo *Brittannicus*, & Imp. VII. Marcello, & Alliano Coss. Trib. Pot. IX., & X. Cos. IV.

938.) XXV. Coss. in unum an-
185.) num designati Materno, & Bradua Coss. Trib. Pot. X., & XI. Cos. des. V. Imp. VII.

939.) Expeditiones in Panno-
186.) niam, & Mauritaniam, Classis Africana dicta *Herculea Commodiana* instituta; Ideo Imp. VIII. Commodo V. & Glabrione II. Coss. Trib. Pot. XI., & XII.

A. V. C. 940.) *Auctor pietatis*, quia Reli-
187.) gio restituta, quo etiam anni
Commodiani reformationem
pertinere cred., Crispino, &
Aeliano Coss, Trib. Pot. XII.,
& XIII. Cos. V. Imp. VIII.
941.) *Apollo Palatinus*, & *mone-*
188.) *talis* dicitur, Fusc. II. & Duil.
Silano Coss. Trib. Pot. XIII.,
& XIV. Imp. VIII. Cos. V.
942.) Pestis Iunio Silano, & Ser-
189.) vilio Silano Coss, Cos. Des.
VI. Trib. Pot. XIV., & XV.
Imp. VIII.
943.) Roma *Colonia Commodiana*
190.) dicitur, Commodo VI. & Se-
ptimiano Coss. Trib. Pot. XV.,
& XVI. Imp. VIII.
944.) *Hercules Commodianus*,
191.) Aproniano, & Bradua II. Coss.
Cos. Des. VII. Trib. Pot. XVI.,
& XVII. Imp. VIII.
945.) A. D. Cal. Ianuarias oc-
192.) ciditur Commodus, illo VII.
& Helv. Pert. II. Coss, Trib.
Pot. XVII. & XVIII. Imp. VIII.
Finis anni Commodiani, qui
ab eius morte Senatu illum
abrogante deficit.

DIS-

DISSERTATIO IV.

Seu Conatus in V. T. apparitiones Divinas.

✠ ✠ ✠



Onatum, dico: differere enim probabilia; non autem afferere evidentia hac in materia possibile est; Quia tamen varias ineptasque, & plebeias huius rei saepius explicationes audire cogimur, non male erit, si Patrum sententia adiuti, faciliorem reddamus veritatis viam, Eruditis aliunde notam, aliis tamen necessariorem; & fiam *Simia rudenti divendens scruta popello*.

Duo ergo in his agenda sunt: *primum* quid sub earum nomine intelligimus, vel quae earum sint species, exponemus; ne forte lector, & auctor de diverso loquens, & audiens dissentientes minus postea, vel saltem difficilius circa ea, quae tractare conamur, consentiamus, aut postea angusto nimia folio sibi deesse videat. *Secundum*, ut principaliores celeberrimasque V. T. apparitiones in medium ducentes: Patrum sententias, textusque Scripturae ipsos, quidque ex illis rationis, vel sanioris intelligentiae, extrahendum,

dum, breviſſimo, quo poſſibile eſt, modo examinemus. Naturalibus enim Philoſophiae rationibus Divina probanda non ſunt, ſed mens, & ſpiritus, in quo dicta, vel acta fuere, conſiliis,. & Patrum explicatione illuſtranda.

Triplex nobis cum *Iſidoro* apparitionum genus ſtatuitur: Vna *corporalis*; ſecunda *ſpiritualis*, *vel imaginaria*; tertia *intellectualis* dicenda eſt. *Prima* quidem praecipue viſu, & auditu percipitur, aliquando tamen etiam aliorum ſenſuum fit miniſterio. Non niſi vigilanti igitur contingere poteſt. *Secunda ſpiritualis*, *ſeu imaginaria* eſt, dum ſpiritus alienas quidem formas ſenſibus ingerit, non tamen in alienam ſpeciem corporalem, prout in prima requiritur, ſe inſinuat, ſed tantum ſui ipſius ideas in hominis imaginatione format, quae vigilanti, & dormienti communis eſſe poteſt. Divinior tamen, rariorque eſt *tertia*, dum ſpiritus ſe ipſo mentem occupat, nec formam mutuatam ſenſibus, ſed intellectui lumina ſui inſinuat. Harum primam vulgus tantum apparitionem vocat, quia externa quaedam externis ſenſibus apparent, ad quam efficiendam oportet, ut ita ſpiritus ſe corpori uniat, ut non tantum corpus quodammodo tegat, ſed ſpiritus operatio corpori, corporis vero ſpiritui quaſi debeat attribui; *Imaginaria* paucioribus contenta eſt; *Intellectualis* vero pauciſſimis. *Vid. S. Thom. 1. part. quaeſt. 51. art. 2. ad 2.*

Somnia ipſa in tria dividimus; De iis loquor, quae iudicio Dei miſerentis immiſſa, non vel naturalibus humoribus elevata phan-

tasma-

tasmata, aut Daemonis calliditate egressa sunt; *Primum Somnium* dicitur: quod figuris tectum aenigma, non rem futuram ipsam ingerit, ita ut interpretis applicatione indigeat; *Secundum*, cum id, quod quis videt, eodem modo, quo illi ostensum fuit, evenit, & *visio* est; *Tertium oraculum*, dum vel viri, vel Angeli forma apparente, aut etiam nulla imagine ostensa vox somnii eventum certae rei praenuntiat.

Iam ad *Apparitionis* vocem, quae Graecis *ἐπιφάνεια* dicitur, Latinis *manifestatio*, transeamus. Haec proprie a nobis in illo sensu sumitur, quo quid praeter communem naturae cursum, sive spiritus sit, sive persona absens, quae naturaliter vel duplicari, vel nobis adesse nequit, se praesens, aut quasi praesens insinuat. Quod ideo moneo, ne phrasis scripturae in aliis sensibus frequens pro multiplicata nimis visione intelligatur, ut dum textus dicit: Manna *apparuisse* in Castris Israel; non fuit visio, sed ipsa naturalis iam praesentia mannae, quod quia antehac illis visum non erat, dum prima vice ostenditur, verbo *apparuisse* narratur.

Aliqui etiam in malorum, & bonorum spirituum, visiones scripturae dividunt. Angustae autem nobis tabulae, ultra primas descendere discursibus nostris non permittunt.

Quia autem locutionum, & apparitionum in hoc eadem est ratio, ut ita voces & sermones, quam visiones saepius formentur, saepius autem se concomitentur, super haec quaedam ante omnia nobis videnda sunt; non semper enim materiali ore locutum, nec

corporeis omnia sensibus ostensa sunt, attamen, & locuta, & ostensa fuisse credendum, & fides est; Patensque connexio, quod, qui in primis digerendis, clarus, & in secundis illuminatus sit, ostendit. Sit nobis S. *Gregorius* in his magister *Cap. 38. in Iob. Sciendum est, quia in duobus modis locutio Divina distinguitur: Aut per semetipsum nobis Deus loquitur, aut per Creaturam Angelicam eius ad nos verba formantur: Sed cum per semetipsum loquitur, sola nobis vis internae inspirationis aperitur. Cum per semetipsum loquitur, de verbo eius sine verbis, ac syllabis cor docetur, quia virtus eius intima quadam sublevatione cognoscitur, ad quam mens plena suspenditur, vacua gravatur. Pondus enim quoddam est, quod omnem animam, quam replet, levet; Incorporeum lumen est, quod & interiora repleat, & repleta interius circumscribat. Sine strepitu sermo est, qui & auditum aperit, & audire sonitum nescit.* Digna tanti Autoris descriptio! Qui, nisi hunc sermonem in seipso expertus fuisset, sic me auctore describere non valuisset. Nec minus bene illius, qui Angelorum ministerio completur, varios modos enarrat, quos, licet paucioribus verbis, hic indigitabimus. Supra *Act. Ap. cap. 8. & 10. Cum vero per Angelum voluntatem suam Dominus indicat, aliquando, eam verbis, aliquando rebus demonstrat, aliquando simul verbis, & rebus, aliquando imaginibus cordis oculis ostensis, aliquando imaginibus, & ante corporeos oculos ad tempus ex aere assumptis, aliquando coelestibus substantiis, aliquando terrenis, aliquando simul terrenis, & coelestibus.* Quorum nobis haec exempla ipse *Gregorius*: *Verbis*

tantum: ut *Ioan.* 12. vox sine altera visione audita est: *Clarificavi, & iterum clarificabo. Rebus tantum* in visione *Ezech.* 1. hic Propheta nil verborum audiens, de iis, quae ventura sunt, assumpta ab elementis imagine instruitur. *Verbis, & rebus*, dum iuxta *S. Greg.* vox Domini deambulantis Adamum increpat. *Gen.* 3. Sed hac de re nos pluribus inferius agemus. *Imaginibus cordis oculis ostensis:* ut scala Iacob in visione dormienti ostensa fuit. *Gen.* 28. *Imaginibus ex aere assumptis*, ut Abraham, qui tres viros vidit, & hospitio suscipere potuit. *Gen.* 18. *Coelestibus substantiis*, ut de *nube* vox egressa est Baptizato Domino. *Substantiis terrenis:* ut dum humana verba in ore asinae audiuntur; *Coelestibus, & terrenis simul:* in igne, rubo, & voce, quae Moysen allocuta est. *Angelos autem etiam humanis cordibus secreta eorum praesentia, virtute suae inspirationis iufundere* vid. in *Zach.* 2. *& dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me.* Haec ex verbis *S Gregorii*. Vid. *lib.* 28. *Moral.* 2. *& seqq. usque ad* 7.

Nunc nobis statuendum est, plerasque apparitiones V. T. Angelorum ministerio consumatas esse; quae S. *Augustini* innumeris in locis, sanctorumque PP. communis est sententia; *Ne substantia invisibilis, & ubique tota, quae est Patris, & Filii & Spiritus Sancti corporalibus eorum sensibus locali, & temporali motu apparuisse credatur. S. Aug. lib. Gen. ad litt. aliisq. locis: Illa omnia, quae Patribus visa sunt, cum Deus illis, secundum suam dispensationem temporibus congruam praesentaretur, per*

 Crea-

Creaturam facta esse manifestum est. Et si nos latet, quomodo ea ministris Angelis fecerit, per Angelos tamen esse facta, non ex nostro sensu dicimus, sed sapimus, & credimus. S. Aug. l. 3. de Trinit. cap. 11. tract 3. in Ioan. num. 17. & 18. Modo Angeli, modo Dominus vocantur, quia Angelorum vocabulo exprimuntur, qui exterius ministrant, & appellatione Domini ostenditur, qui eis interius praeerat. S. Greg. loc. sup. cit. & paulo altius supra *Ioan. 12. Neque enim Deus, qui sine tempore vi impulsionis intimae clamat, in tempore per suam substantiam illam vocem edidit, quam circumscriptam tempore per humana verba distinxit; sed nimirum de coelestibus loquens verba sua, quae ab hominibus audiri voluit, rationali creatura administrante formavit*. Quod clarius *S. Hieronymus in Epist. ad Gal. 3.* confirmat dicens. *Quod ubi Angelus primum refertur, & postea quasi loquens Deus inducitur, Angelus vere ex ministris pluribus, quicumque sit, visus est:* quia, ut dicit *Augustinus, Deus in his ostendit ita se operari per ministros suos, ut sint etiam ipsi cooperatores Dei. S. Aug. Civ. Dei lib. 16. Angelorum* enim nomine ita *nuntios*, & *ministros* intelligimus, ut Scripturam non solum *spiritus* cuiuscumque coelestis Hierarchiae, sed & *Dominum nostrum* in humana carne subsistentem, quia missus est ad Evangelizandum, genusque ut perditum recuperaret, Angelum nominare videmus; quam etiam denominationem postea *Prophetas*, *Apostolos*, *Evangelistas*, *Martyres* ad fidem sanguine confirmandam delegatos, *Confessores* ad illam exemplo aedificandam

dam a Deo Ecclesiae suae concessos, *Sermones* Divinos, & *inspirationes*, ipsos *ventos*, & *turbines*, *stellas* ipsas, & *sydera*; quae ordinatam eius legem in sublunaria exsequuntur, tam litteraliter, quam in figura adipisci videmus. Hocque non versionibus nostris, commentatoribus, & interpretibus attribuendum est, quia ipsam Hebraicam vocem מלאך *Melech* muneris, & officii potius nomen dicendum, quam naturae. Prout: *Ecce ego mittam Melech meum ante faciem meam, qui praeparabit viam tuam ante te*: *Malach.* 3. de S. *Ioanne Baptista*, & *Ag.* 1. 13. *Et dixit Aggaeus Melech* (nuntius) *Domini de nuntiis Domini*. Vbi homines *Melech* appellantur, clare ostendunt. Patres autem nomen Angelus explicasse pro Sermonibus Dei: *Orig. S. Matth. hom.* 2. *Philo* 2. *allegoria* & *de confusione linguar Hier. S. Dan.* 3. & *S. Zach.* 1.; *S. Aug. Ps.* 70. De Christo *Ambr.* 2. *de Sacramentis* 2.; *Greg.* 24. *Mor.* 1.; *Hier. S. Zach.* 3. & *Dan.* 3.; *Cyrill.* 3. *Thesaur.* 8.; *Aug. quaest. in Iudith.* 54.; & *S. Ioan. tract.* 17.; *Rupert.* 5. *S. Apoc.* & 3. *Ioan.* de Spiritu Sancto, in quantum missus est: *Ambr.* 1. *de Spir. S.* 7.; *Chrys. S. Is. ho.* 35. de hominibus: *Euch. for. Spirit.* 3.; *Rupert.* 7. & 9. *S. Apoc.*; *Arno.* & *August. S. Ps.* 103.; *Hieron. S. Is.* 33. *Dionys. coel. hier.* 12.; *Ambr. de initio myst.* 2. & 1. *d. Sacram* 2.; *Aug.* 5. *Apoc. ho.* 2. & *Serm.* 80.; *Greg.* 11. *mor.* 3. & 34. *mor.* 4.; *Beda S. Gen.* 28.; *Rup.* 9. *S. Apocal.* De inspirationibus Divinis, ventis, & stellis. *Ricard. de S. Victor.* 5. *de arca myst.* 13.; *Rupert. S. Gen.* 26.; *Ambr.* 5. *Colossi.* 2.

D 4 Haec

Haec tam fuse tractavi, ne eadem postea variis in eadem tamen incidentibus locis recoquere cogar. Quilibet ex dictis facillime applicationes necessarias cuiuscumque apparitionis scripturisticae, ad illam, ad quam pertinet, e S. *Gregorio* classem minus, qua possibile est, corporeitate, vel aliqua Divinae Maiestati indigna in medium ducta phantasia, facere valebit, nec me caeco ductore indiget. Ideo non omnes enarrare, sed tantum, ubi aliqua, vel cuiusdam textus difficultas occurrit, qua potero, brevitate concinnare volui.

Iam, quo modo Deus Adamo locutus fuerit, primum a me quaeritur. Ingenuum iam tibi lector respondeo: Nescio; Quod autem probabilius mihi videtur, est. Adamum, antequam peccaret, vocem aliquam vel auditus, vel visionis sensu percepisse, nec litteram quidem in SS. paginis invenio, ad internam ergo Dei locutionem satius est recurrere, cuius tam sublimem a S. *Gregorio* descriptionem desumpsimus. *Fortassis enim in ineffabilibus intrinsecus modis Deus cum illis loquebatur, sicut etiam cum Angelis loquitur, ipsa incommutabili veritate illustrans mentes eorum, ubi est intellectus nosse simul, quaecumque etiam per tempora non fiunt simul, etsi non tanta participatione, quantum capiunt Angeli. S. Aug. Gen. ad litt. lib.* 11. *Cap.* 33. Quod tanto plus mihi credibile est, quo innocentiae status tanti illum colloquii digniorem reddidit, & cordis puritas aptiorem claritati luminis illi esse permisit sapientiam, cuius tam mirabi-

lee

les primique hominis dignos illo nobis ostendit effectus *Gen.* 2. nominibus creaturae omni, indoli, & naturae cuique convenienter inditis, quod sine interno prophetiae lumine nec pernosse, nec fieri potuit: *S. Clem. Alex. Strom. lib.* 1. *Summaeque sapientiae ipsi visum est Pythagorae, Plat. in Cratylo; Tull. lib.* 1. *Tusculan. quaest.* omnium veterum Philosophorum admiratione. Vix autem peccarunt, *vocem Domini deambulantis ad auram vespertinam* ab Adamo audiri legimus. Vocem ergo, dum iam exterius audimus, non amplius sola Dei inspiratione interna, sed angelico iam completam ministerio videmus, licet, quod criminis reatus illum in conscientia ante ipsam vocem iudicis, ad iudicium provocans accusaverit, minime dubitandum sit; in quo cum plerisque Patribus convenimus. Restat nobis vocem *deambulantis Dei* interpretari. *Quae est deambulatio Dei, qui ubicumque semper est?* Sic *Ambrosius*: *Deus ambulat, num pedes habet?* *Chrysostomus*. Illos etiam similiter *D. Hilarius* 12. *de Trinit.* interrogat. Peius autem respondet, ac si Deus ipse phantasticum corpus assumpsisset, contra quod iam superius tot oraculorum autoritate, & ratione decertavimus. *S. Ambrosius* puris allegoriis respondet, litteramque hic deserit; *S. Chrysostomus*, postea *Theodoretus*: *Dum quasi movebatur in eis praesentia Dei, dum iam ipsi stabiles in eius praecepto non erant. S. Aug.* 2. *de gen. contr. Manich.* ad conscientiae motus internos, ac metum; ita ut tamen externus clamantis sonitus non negetur; mecum accedit. Rema-

net tamen adhuc obſcura littera *deambulationis*; Iam verſio Samaritana non vocem *deambulantis*, *ſed clamantis* habet. Nonne etiam legimus. *Gen. Cap.* 3. 7. *Inſpiravit illi ſpiraculum vitae*, quod dicit: dedit, ut ſpiraret, ſpirare enim vitae noſtrae ita neceſſarium eſt, ut mori expirare dicamus. Videretur hic, ac ſi ergo ſpiratio vitae primo in Deo fuiſſet ſpirandoque tranſiſſet in Adamum. Vivit Deus, ſed non ſpirat, nec inſpirare neceſſe habet, ut Adamo vitam, & eius ſpirationem tribuat, ſed Textus verba rei Adamo neceſſariae ad intelligentiam humanam Deo applicat; Effectum oſtendens a cauſa in recipientem Adamum tranſeuntem, qui talis eſſet, ut ſi humano modo exequi deberet, inſpiratione fieret. Eodem modo textum intelligo: Vox Domini tempore deambulationis veſpertinae ad auram (Orientalibus enim Iudaeis loquitur Moyſes, quibus illa hora poſt diurnum calorem ambulare mos eſt) auditur, quam ſi loquens homo fuiſſet, deambulando conſumpſiſſet, qualitatem patientis agenti, permutationis phraſi paulo antea viſa tribuens.

Gen. 15. & ſaepius poſt haec dicitur. Factus eſt ſermo *in viſione*, verba, nil autem materiarum, quae viſa fuiſſent, addens, quod non incongrue aliter verti ſolet *in prophetia:* ut enim viſio naturalis oculi praeſentia obiecta intuitur, ſic prophetia illuſtrati, mentis lumine futura, abſentiaque ut praeſentia videmus; Ita prophetiam omnem futurorum viſionem recte dicimus, quae autem citato capite voce ſomnianti immiſſa, & viſione

ne prophetiae continuavit, quod tamen non ſemper alias factum priori nos verſione contentos relinquit.

Viſio Convallis *Mambre*, ubi Abrahamo tres viri apparent, quos hoſpitio excipit, eorum pedes lavat, modo Angelos, modo Dominum appellans, ex *Gregorii* citatis clara eſt: nam niſi ſaltem imaginibus ad tempus ex aere deſumptis ſe ante eius oculos poſuiſſent, hoſpitio ab illo inſerviri minime valuiſſent; *Abraham tres Angelos vidit, & unum*, qui eos miſit, *Deum Dominum adoravit, ut per hoc praeſidentis imperium, & per illud clareſceret officium miniſtrantium. V. Greg. loc. ſuper. toties citato. Aug. lib. 16. de Civ. Dei cap. 29. lib. 3. de Trinit. cap. 11. Tract. 3. in Ioan. num. 17. & 18.* Vt etiam qui Loth de Sodoma eduxerunt, tales fuiſſe confirmat Apoſtolus ad *Hebr.* 13. 2.

Somnium *Abimelech* Regis *Gerarae* ita narratur: *Venit autem, Dominus ad* Abimelech *nocte, & dixit ad eum, en tu morieris propter mulierem, quam tuliſti*. Non venit Dominus in ſomno niſi praeeſſendo: id eſt ſomnium Domini, ſeu Dominus iuſſit, Angelus diſpoſuit, & Rex in ſomnio hanc vocem percepit, ſub qua figura? Temerarium eſſet littera nil innuente adiungere, & neſcimus. Hoc horum eſt, quae antea oracula dixi, quae eventum voce ita praenuntiant, ut nulla prorſus interpretatione indigeant. Differentia ſunt ſomnia Ioſephi, Pincernae, piſtoris Regii, item Pharaonis, quae pura ſomnia ſunt, & non niſi eventu, vel alia prophetia interpretabantur *Gen.* 37. 40. 41. Celebris autem *Viſio Scalae* Iacob, ſom-

somnium est oraculo comitatum. Somnium quoad scalam visam, quae interpretationem expectat; oraculum quoad promissionem terrae possidendae aliunde claram *Gen.* 28.

Venit textus *Cap.* 16. in prima fuga *Agar: Profecto hic vidi posteriora videntis me*. Illa Angelum loquentem audivit, probabiliter, quia corpore aereo formam hominis praesentaret, virum mortalem credens, dum autem se avertit, & disparuit angelum iudicavit, ideo admirata dicit: Vere ex recessu novi fuisse Angelum illum, qui me autem bene vidit, seu agnovit, *visionem* pro *notione* sumens. Ille enim vere videre creditur, qui quod videt, quid sit, agnoscit; Admiratio tanto magis aucta fuit, quo, qui Angelum videt, se certe moriturum, tam Iudaeorum, quam Paganorum praeventio fuerat. Quod probare exemplis nimis amplum. Apte hic *Calmet*.

Gen. Cap. 32. *Fueruntque ei*; idest Iacob; *obviam Angeli Dei, quos cum vidisset, ait: Castra Dei sunt haec, & appellavit nomen loci eius Mahanaim; idest Castra*. Salomon Iarchi dicit eos Angelos provinciae tutelares, quos cuique ditioni esse Iudaei ex *Dan.* 12. 1. assignant, & nostri quidam sequuntur ob *act.* 16. 9. Candide fateor omnia in historiis spontanee adiuncta mihi valde displicere nec immeritis ea critices novaliis digna iudicare. Primo iam hanc visionem vel exercitus, vel saltem turmae, aut militarium castrorum formam praesetulisse certum mihi videtur, ineptum alias huic loco *Mahanaim* 1. idest, *Castrorum* nomen dare fuisset. Vertunt etiam LXX. *Iacob vidit Castra Dei*

appli-

applicantia. Quae visio illum de periculo, in quo erat propter fratrem suum Esau, qui illi mortem minabatur. *Gen.* 27. illi etiam actu cum 400. *Gen.* 32. *&* 33. armatis occurrebat, apud cuius Regionis finitimos montes Seir itinere suo transibat, instituerat. Inutilis enim visio non fuit, hoc autem illum exinde intellexisse, nec aliud videmus ex versu sequenti: *Misit autem &c.* quam Nuntios ante se in Regionem Edom, ut fratrem placarent; qui revertentes, Esau armata cohorte stipatum appropinquare annuntiaverunt. Nimia mihi videtur illorum audacia, qui hanc visionem cum sequenti coniungentes unum idemque somnium ex ambobus faciunt, nam tot inter has diversas visiones fit, ut illos potius in legendo Textu, quam Iacob tam longo tempore dormisse credam. Ille mittit, & instruit nuntios, hi revertuntur, suos in duas turmas dividit, & ibi pernoctatur *v.* 21.

V. 22. *Cumque mature surrexisset, tulit uxores suas, & totidem famulas cum undecim filiis, & transivit*, id est, dictas personas transire fecit, *vadum Iabok* (male enim legitur *Iacob*) *traductisque omnibus, quae ad se pertinebant, mansit solus*, vel citra vadum Iabok, aut a longe praecedentes turmas lente subsequens, quia *v.* 7. *timuit valde*, ut successum rei turmis praecedentibus eventurae a longe spectaret, nec se incaute periculo committeret, ut ex turmarum divisione patet. *Si venerit Esau ad unam turmam, & percusserit eam, alia turma, quae reliqua est, salvabitur.* Illum statim post nuntios reversos timuisse, &

& vehementer orasse videmus *v.* 9. Vti ergo Deus prius illum de periculo visione admonuit, sic illum postea sequenti apparitione, petitam liberationem impetrasse confirmando erexit. *Ecce vir* Angelus *luctabatur cum eo:* an in visione somnii, an in orationis extasi phantastica lucta facta fuerit, nil in paginis exprimitur. Sufficit sensum esse prophetiae istum; Orantis perseverantia vicit Dei tentantis dilationem, vincimus enim orando & invincibilem Deum; quod patet exinde, non *voluit Iacob illum dimittere, donec benedixerit illi* 1. idest noluit ab oratione cessare, donec se, quod petiit, impetrasse securus esset. Quae benedictio est, *quoniam si contra Deum fortis fuisti, multo magis contra homines praevalebis.* Quae maior illi potuit dari securitas, quam dicendo: tu oratione Deum vicisti, quanto magis ergo fratri tuo praevalebis? Nox erat, & haec lucta potuit in somno, vel visione optime absolvi; sine, ut ad aliquam corporeitatem assumptam recurramus; talibusque visionibus orantes se exauditos fuisse securitatem in somniis, & extasibus accepisse, plenae sunt antiquorum Patrum vitae ex *Hieronymi, Rosvvejdi, scriptis, & collationibus Cassiani*, & aliorum. Nec minus prodigii, Divinae Maiestati accedere crede, si spirituali, quam si corporali apparitione absolvatur. Angelum fuisse confirmat *Osee* 12. 3. Nec Angelo, quid corporis assumere necessarium erat, ut materiale *tacto, & emarcescente femoris nervo* in Iacobo signum relinquat, aut hoc spirituali nimium esse potestati Patres omnes

nes conveniunt: Occurrit adhuc versus: *Vidi Deum facie ad faciem, & salva facta est anima mea*, quod sic, nec pessime, verti crederem. Tam clara visione confirmatus fui, ut uti hominem facie ad faciem videre solemus, sic Angelum, quem Iosephus etiam *phantasma* vocat, idest figuram, quam ante meos oculos ferebat, viderim, & exinde sciam, quod *anima* i. e vita mea ab occurrentis mihi fratris periculo *salva facta*, seu liberata sit: *Statimque ortus est Sol*, & visio finit.

Quantum mihi displiceat videre primos quosdam Patres in visione ignei rubi Moysis *Ex. cap.* 3. in aliquas nescio, an Divinitatis satis condignas abiisse sententias, vix dicam. Putarunt enim aliqui ipsum Dei Filium legislatori apparuisse, nec ego ob eorum sanctitatem futiles rationes dixerim, quas in aliorum tamen ore nullius esse momenti iudicassem. Ad tres autem praecipue reduci solent. *Primo:* quod Filius Dei Angelus, seu missus in Scriptura etiam dici soleat. *Secundo:* Quod Angelus, sibi Dei nomen autoritatemque assumat. *Tertio:* Quod Moseh in *Deuteronomio* Iosepho illius benedictionem precetur, qui illi in rubo apparuit. Quae omnia ex supradictis quilibet levia fore reputabit. Ad *primum* dico, si hoc esset sequendum omnibus apparitionibus Dei Filium intermiscere cogemur. Porro non missus dicitur Angelus, quia Dei Filius, sed etiam Dei Filius, quia & ille missus, sic dicitur; quod potius, sed non melius ex omni misso Angelum, quam ex omni Angelo Dei Filium faceret. *Secun-*

do

do iam supra tot Patrum textubus responderam, ut quilibet statim Divinum nomen iubenti, & repraesentato Deo, Angelicum repraesentanti ministrantique spiritui competere ipse inveniet, nec ab Angelo quid indecorum, aut mendacii factum fuisse putet, quia non minoris reatus culpandi sunt tres Angeli in convalle Mambre, qui se Dominum dici ab Abrahamo suscipiunt, tamen Angeli fuisse tot locis perhibentur. Nec maior hic quam ibi talia cogitandi ratio supererat, nisi quod absurditatem ob trinos Angelos tam faciliter salvare non potuissent. *Tertium* ex dictis a se ipso cadit obstaculum, nec explicatione eget: Moysen illius benedictionem Iosepho precatum fuisse, qui illi per Angelum in rubo apparuit. Tam imbecillem lapidem Tertulliano *contra Iudaeos*, *&* *lib.* 2. *contr. Marcion. num.* 27. *&* *lib. advers. Praxeam.* *S. Iustino Dialog. cum Tryphon.* *S. Irenaeo lib.* 41. *adversus haeres. cap.* 26. *S. Basilio lib.* 2. *&* 4. *contra Eunom.* *S. Hilario lib.* 4. *&* 5. *de Trinit.* *&* *in Ps.* 67. *&* 68. *Eusebio in Ps.* 67. 76. *&* 77. *Theodoreto in quaest.* 5. *in Exod.* difficultatis exstitisse montem miremur, & *S. Augustinum*, qui ex supra dictis longus abest, ut minimum quid cum illis sentiat, tamen postquam omnia in contrarium adduxisset, illam tamen non reiicit, ambasque probabiles dicit, nullam contra fidem esse subiungens, meritum nobis, omnibusque Criticis debitae Patrum venerationis, etiamsi minus recte sentiant, praebens exemplum. Nec hoc minimum est, quod eorum sancti-

tati

tati debemus; Quae autem in antiqua Ecclesia ex tam materialibus interpretationibus monstra haeresum originem sumpserint in Antropomorphitis, ipsisque Platonicis aliquorum Manichaeorum deliriis videre est; Ideo S. *Hieronymus*, *Gregorius* aliique eas merito cavent, generalesque quas antea cum *Augustino* posuimus, regulas proposuere. Minus hic autem talia effari dignum fuisset, ubi tam Hebraeus: וירא מלאך יהוה quam septuaginta. Ὤφθη δὲ αὐτῷ Ἄγγελος Κυρίου, *Angelus Iehova apparuit illi* clare dicunt, sicque non solum Angelum, sed & nostram circa adorationem innuunt solutionem; S. Stephanus *act.* 7. 30. Angelum Domini appellat; Et Apostolus legem per Angelos latam affirmat. *Galat.* 3. 18.

Solemnior modo nobis venit apparitio Montis Sinai, ubi post varia portenta, ne Legislatoris fictionem crederet materialis Iudeorum populus vocem suam materialibus divinitatis incrementis insigniri voluit, qui ut supradiximus, legem ministerio suo tulit Angelus. Petit porro Moseh *Exodus Cap.* 33. *videre faciem Dei*, *quod autem illi denegatum videmus: non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, & vivet*; & iterum, *idest alia vice dicit: est locus apud me, & stabis supra petram, cumque transibit gloria mea ponam te in foramine petrae, & protegat te dextera mea donec transeam*, idest: hic super petram locus est aptus, in quo te abscondere poteris, ne fulgore maiestatis meae corripiaris, & ego, uti homo qui transit, aliquem maiestatis meae

radium,

radium, vel partem transeundo, permanentiam enim fulgoris sustinere non posses, comparere faciam, tollamque manum meam, & videbis posteriora mea, quod bene Arabs: auferam nubem meam, ut videas posteriora Angeli mei, faciem autem meam videre non poteris. Quod sic intelligi debet. Subito ac me videbis, disparebo, ita ut hominis celeriter abeuntis tantum posteriora videmus. In hoc etiam sensu Paganorum Deos apparuisse legimus in *Homero*, & *Virgilio*. Nec parva fuit *Moysis* visio, si etiam ad Angeli visionem elevatus fuerit, quae tam magni semper habita est, ut qui illum videret, se moriturum crederet: ut Iudicum sexto: *Hei mi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciem*, exclamat *Gedeon*, respondetque spiritus: *Pax tecum, ne timeas, non morieris*. Si ergo visio Angeli humana forma apparentis mortis timorem generet, quanto magis Angeli gloria, corporeis ad id elevatis oculis fulgoris reliquias inculcabit, quem etiam postea effectum in Moysis facie adeptum videmus? Hoc ex praeclarioribus visionum exemplis aliis postea facile applicandum erit.

Quomodo haec Angeli faciant? *Augustinum* latuit *lib.* 3. *de Trinit. cap.* 11. & me. Fecisse tamen firmiter credo. De modo, si Angelus fuissem, responderem, tu autem, si Catholicus es, & bene vivis, ipse videbis; interim vale.

ADDENDA, CORRIGENDA, ET EMENDANDA.

DISSERTATIO I.

Pag. 1. *Sciptura* l. Scriptura. Pag. 3, יחוה l. יהוה Pag. 5. יהיה l. יהיה Pag. 6. *Ebove* l. Evohe, *Isdraeli* l. Israel Pag. 11. *Elochim* l. Elohim, *Principalis* l. Principis.

DISSERTATIO II.

Pag. 17. *redactae* l. redacta. Pag. 18. *Scolopidus* l. Scolopithus. Ibid. *viribus* l. vicibus. Pag. 19. *Curtio lib.* ad 6.; Pag. 21. *Sytharum* l. Scitharum. Pag. 23. *exscellens* l. excellens. Ib. *ipsa* l. ipso. Pag. 24. *praefecit* l. praefuit. Ib. *illos* l. illas. Ib. *volunt* l. voluit. Pag. 25. *sex* l. se ex. Pag. 27. *Themyseyrei* l. Themyscyrei. Pag. 28. *δπι* l. *δοπι*. Pag. 29. *nunquam* l. unquam. Ib. *mamillas* l. mamilla.

DISSERTATIO III.

Pag. 34. *Praesente iterum Coss.* l. Cos. Pag. 36. Αὔγυσος l. Αυγυςος. Pag. 38. *indicat* omit. Pag. 42. *felicemque* l. felicesque. Pag. 46. *vera* l. Vero.

Ne super in III. Diss. a me allatum nummum ob EXVPERANTISSIMO, quod plurimi, tamen non omnes mecum legunt, sit difficultas. Nummum hic genuine non explicato citare me sic moneo. *Nummus arg.* AV. M. COMM. ANT. P. FEL. AVG. BRIT. *Caput laureatum*. Rev. IOVI. EXSVP. P. M. TR. P. XII. IMP. VIII. COS. V. P. P. *Iupiter sedens, dextra fulmen, sinistra hastam tenens*.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

DISSERTATIO V.

De Groenlandia veteri.





On deberem tam remota petere, dum tam vicina ignoramus, sique in propinquis Provinciis tam saepe non secura promuntur, quis in tam difficis de omnium veritate respondebit? Quia tamen doctissimus Islandiae historicus *Arngrimus Ionas*, qui tam fideliter veritatis amorem cum litterarum cultura copulavit, non omnibus, maxime his Meridionalibus Regionibus minus, quam dignum est, noscitur, Eiusque opera, inter quae *Specimen Islandiae Historicum*, & *Chrymogaea Islandiae* non minima sunt, rariora sint, quam ut communiter habere possint. Tibi, quas potui *Groenlandiae* singularitates, & Historiam amice Lector, tum ex illo, tum ex aliis fidelioribus relationibus dare volui.

Groenlandiae nomen terram illam Septentrionalem complectere solet, quae a Promontorio *Farvell* Oceani Deucalioniani *Spitzbergam*, & *Novam Zemblam* versus mari glaciali superadiacens, an polum Arcticum undique cingat, nescimus; *Primo* ergo, quid de Eius historia ad nos venerit, narrabimus. *Se-*

cundo: demum quae de eius situ, & confinibus addemus.

Snorro Storlesonius celeberrimus Islandicae Mythologiae, seu Eddae scriptor, qui A. C. MCCXV. iuxta dictum *Arngrimum Nomophylax, ut dicunt*, Prorex, erat, illam meliore iure ab Islandis, & postea Norvegis inventam, & populatam tradit, quam *Claudius Christophersenius* Danus, qui Armenos quosdam a tempestate ad Groenlandicas oras prius eiectos, ubi postquam aliquo tempore habitassent, Norvegiam appulissent, rupesque Hyperborei maris incoluissent. Quod autem nullo antiquo monumento modernus hic Chronographus probavit. Ad maiorem ergo *Snorronis*, *Arngrimi*, & aliorum Islandicorum Chronicorum fide probatam sententiam nobis redeundum est.

In hoc tamen omnes conveniunt: *Torvaldum* nobilem Norvegum, cum filio suo *Erico Ruffo* ob patratum homicidium relicta patria se in *Islandiam* recepisse, quo mortuo filius in *Islandiam* magis Occidentalem concessit, & in *Haukadal* praedium *Erickstad* fundavit, ob animi inquietudinem autem variis cum magnatibus iniuriis intricatus, sedem suam paulo post cum insula *Oxoy* in *sinu Breidafiord* commutavit. Tandem, ut Iudicum severitatem evitaret, navigio extructo continentem, quam ex certi *Gundebiorni* relatione non longe abesse, & visam fuisse intellexit, quaerit, invenit, sinumque inter duo, unum Insulae, aliud continentis promontoria intrat, quae a se *Ericksfiord* terram, *Eriksoy* insulam vocavit. Regionem perlustrat, & post triennium

nium in Islandiam revertitur, tantaque de ea praedicavit, ut plurimos *Islandos* ad secum ibi habitandum alliceret. Vere revertente, ubi omnia viridia, florentiaque conspexit, *Groenlandiam*, seu terram viridem dixit, binas habitationes *Ostrebug*, & *Westrebug* exstruit, duos portus *Erricsfiorden*, & *Ravensfiorden*, *Erici*, & *Corvorum* a multitudine eorum ibi inventa appellat: Sequenti anno, qui *Arngrimo* A. C. IVXM. est, Islandi viginti quinque navigiis *Erico Groenlandiam* repetenti sese coniunxerunt. Post statuta Terrae habitatae primordia, modicum quid de huius facti Epocha differamus.

Chronicon Danicum dicti *Claudii Christophersenii* A. C. 770. apponit, cui suffragari videtur Bulla *Gregorii* IV. A. C. 835. ad Episcopum *Ansgarium* pro fide in terris Septentrionalibus maxime autem *Islandia*, & *Groenlandia* propaganda his verbis populos *Danorum*, *Svecorum*, *Nortvebonum*, *Terrae*, *Gronlandon*, *Halsingolandon*, *Stridevindon*, *Slavorum* S. *Ansgario* Archiepiscopo Hamburgensi subdens; a *Lambec. Orig. Hamburgic. pag.* 122. citatum diploma DCCCXXXIV. Aquisgrani datum pro fundatione Archiepiscopatus Hamburgensis a Ludovico Pio: *Idcirco Sanctae Ecclesiae filiis praesentibus & futuris certum esse volumus, qualiter divina ordinante gratia nostris in diebus Aquilonaribus in partibus, in gentibus videlicet Danorum, Svecorum, Northvvehonum, Terrae Gronlandon, Halsingolandon, Islandon, Stridevindon, & omnium Septentrionalium, & Orientalium Nationum magnum coelestis gratia praedicationis, sive acquisitionis patefecit ostium.* Quae confusio

 Orien-

Orientis, & Septentrionis, quae diversae Aerae sub unam redactae? Quae adquisitio? An armis? Quid falsius? Qui sensus adquisitionis, & praedicationis? An Christo acquisita, quae necdum detecta, vel an maiorem fidem tam lacerum monumentum, quam omnes Islandiae accuratissimi annales habebunt? Et doctissimus *Pontanus* tam facile credit? Et solertissimus alias *Perrerius* se ita decipi patitur? De Sclavis, Danis, & Svecis omnia diplomata Caesareum, & Pontificium; item acta a S. *Remberto*, comtemporaneo S. *Ansgario*, conscripta; nec quidquam dubii circa id relinquitur; sic genuini horum auctorum Francici *Codices: Parisiensis*, *&* *Corbeiensis*, diplomataque Pontificia dicti *Greg.* IV. *&* *Nicolai Papae*, unum a *Philippo Caesare e Codice Hamburgensi* editum, alterum a *Krantzio lib.* 1. *Metropol.* relatum testantur; Nil autem in iis de *Farria*, *Islandia*, *Groenlandia*, *Halsigelandia*, quorum convenientia verba apposite etiam secutus est *Baronius*, & sunt: *Legatus S. Ansgarius in omnibus circumquaque gentibus Sveonum, Danorum, nec non etiam Sclavorum, vel in caeteris ubicunque illis in partibus constitutis Divina pietas ostium aperuerit*. Nec quidem Norvegia, minus Islandia, & Groenlandia nominantur. Recte ergo interpolatos Codices Hamburgenses, & Budecenses, quos *Lambec. Orig. Hamburg.*; *Pontanus lib.* 4. *Reg. Dani.* sequitur, cum Arngrimo, Bollandistis, statuo. Ideo, *Surius*, & *Bailletus* nec eorum quidem mentionem faciunt Regionum. *Vid. Boll.* 3. *Febr.*, *acta S. Ansgar.*, *&* 4. *Febr. S. Remberti*, Eademque *apud Surium*

vium tom., *Bailletium tom.* 1. *in Eosdem dies*. Quam facile autem fuerit huius Bulla descriptoribus, & posterioribus historicis ornamentum ex addita *Groenlandia* quaerere, recte observat *Ionas* noster, tanto magis, quo annales *Snorronis*, Item Relationes Clarorum in Groenlandia virorum *Thorgiselli*, *Thormodi*, *Kesveri*, *Skalldhelgonis*, *Kalldnefveri*, *Biornonis Enarii*, series Episcoporum Groenlandicorum accuratissime nobis ab *Islandis* transmissa, in tardiorem huius continentis detectionem unanimiter conveniant. *Islandos* etiam optime in rebus huius terrae versatos, quis dubitare poterit, dum *Arnhaldus* secundus *Gardensis Groenlandiae* Episcopus, postquam facto ad *Isthmum* occidentalis Islandiae *Hiitrarnes* naufragio cum nautis aliquot salvus evasisset, comitiis Insulae ann. MCXXVI. interfuit, ut & postea eius successores *Ionas*, *Olaus*, *Andreas* variis temporibus in Islandia commoravere. Porro conveniunt omnes *Erici Ruffi* filium anno millesimo sub *Olao Trigone* Rege *Norvegiae* in *Norvegiam* vectum, qui mihi nimis a Patre abest ante annum septingentesimum septuagesimum *Groelandiam* populante, nisi quis veterum Patriarcharum aetatem refabulari vellet. Naturalius etiam est conversionem *Groenlandiae* eam *Norvegiae* longius secutam esse, non enim nisi *Ludovico Pio* regnante ipsi *Daniae* Reges conversi sunt. Auctor relationis Septentrionalis ad *Vaierum Groenlandiam* iam eo tempore magnae famae fuisse, non autem dicit: unde, sic minus credo. De Cronica Manuscripta, quam dicit *Gunterus* vidisse se in Ar-

chiviis Archiepiſcopatus *Bremenſis*, in quo copia Bullae, quae Archiepiſcopum illum Metropolitanum *Norvegiae*, *Islandiae*, & *Groenlandiae* conſtituit, & anno ſalutis DCCCC. antiquior eſt, dubium illud habeo; quod adnotatum Manuſcripti non inſertae copiae annum ſcire deberem, ut argumentum contra me, *Ionam*, & alios Islandicos ſcriptores ſumere poſſem.

Securiorem ergo tot monumentis convenientibus Epocham ſtatuemus *Groenlandiae* inventae DCCCCLXXXII. ab Islandiis habitatae IVXM.

Ann. M. Laiferus *Erici Ruffi* filius *Hinn hepne* ſortunatus in *Norvegiam* vectus ubi *Olaum Trugherum* noviter converſum invenit, eiuſque auſpiciis baptizatus additis Sacerdotibus *Groenlandiam* repetit, eamque una cum Patre ſuo Chriſtianis ſacris inſtituit.

Erici ſucceſſores multiplicati poſtea ulterius in Provinciam intrarunt, ubi terras valde fertiles, paſcua, & rivos invenerunt, & iuxta antea dictas ab *Erico* habitationes in *Orientalem*, & *Occidentalem* diviſerunt, in quarum prima Civitatem *Gardam* erexerunt, quae Norvegis omni anno ob commercium petebatur, & primaria poſtea Epiſcoporum ſedes exſtitit. Secunda Civitas erecta fuit *Alba*, & zelo Chriſtianorum creſcente Monaſterium Sancti *Thomae*, quae paulo ita augumentabantur, ut in Orientali plaga duodecim in Occidentali quatuor numerarent Eccleſias.

Hae in formam dioeceſeos redactae Cathedralem *Gardam* agnoverunt, quae, ut ſaeculare dominium Regem Norvegiae agnovit Princi-

pem,

pem, sic Episcopis ex hoc Regno providebatur.

Heic ob navigationis discrimina Cathedralis aedes Sancto *Nicolao Mirensi* dedicata est, quod nobis *Ionas* noster ex *Natham* Fastorum lib. 12. his verbis canit:

E Lycia, mox Niliacas, Leonicus ad aras
Navigio vectus, quum tenderet: atraque coelum
Tempestas tegere, & fluctus agitare procellae
Horrisonae inciperent, & mortem cuncta minari:
Tum vero solitas, unus conversus ad artes,
Nicoleos, precibus rerum placare parentem
Supplex, erectis, cum corde ad sidera palmis
Instituit; vatique sui mox compos, opimas
Aegypti intravit, ventis feliciter, urbes.
Tum sibi, tum sociis optatae causa salutis.
Heinc mercatores illum, nautaeque Patronum
Delegere olim &c.

Primus *Henricus* an. Christi MCXXI. ordinatus in Norvegia Patriam non attigit, & Naufragio perit.

Secundus *Arnhaldus* MCXXIV. mittitur, & post viginti, & octo annos sedem cum *Hamerensi* Ecclesia in Norvegia mutat MCLII.

Tertius *Ionas Kotur*, *Knutur*, seu *Canutus* MCLVI.

Quartus *Ionas Secundus* MCCII. Islandiam attingens docuit incolas vinum conficere ex baccis quibusdam, nigro colore, lentis fere magnitudine olim, succo referente colorem eius vini, quod canariis adscribitur. Obiit *Ionas Secundus* MCCIX.

 Quin-

Quintus *Helgo* MCCXXII. obiit MCCXXX.

Sextus *Nicolaus* MCCXXXIV.

Septimus *Olaus* MCCXXXVII. obiit MCC-LXXX.

Octavus *Theodorus* MCCLXXXVIII. Norvegiam revisit MCCLXXXXIX. obiit MCCCXIV.

Nonus *Arnerus* eodem anno obiit MCCCXXV.

Decimus *Ionas Tertius Skalle* Calvaster *Holensi* Ecclesiae Islandicae se intrudere voluit, tandem in Groenlandiam susceptus est.

Vndecimus *Alfus* MCCCLXXVI. illum sequitur, obiit MCCCLXXVIII.

Duodecimus *Henricus* MCCCLXXXIX. fit Episcopus, & eodem anno iuxta *Pontanum* Comitiis Danicis *Neoburghii* in Fionia intererat. Post quem enim Episcoporum Catalogum non amplius in monumento suo existere dicit *Ionas*, anno tamen MCCCCLXI. *Andream Gardensem* Episcopum vice Pastorem *Schalholtensem* in Islandia una gessisse monumento Consistorii dictae Ecclesiae a se viso *Ionas* affirmat.

Post Ecclesiasticas ad saeculares tum Groenlandiae Heroum Historias, tum revolutiones accedamus.

Primus Heros adhuc *Erico* vivente ex Islandia numerosa cum familia appulit *Thorgisellus*, qui ursum immanem hospiti suo formidabilem solus confecit, & naves duas Pyraticas incolis eousque infectas *Wina gautur*, & *Stiakear hofde* dictas intercepit.

Secundus *Thormodus Bessonis F.*, Islandicus *Groenlandiae* historicus; & Poeta celeberrimus, de cuius vita dignum est aliqua narrare. In iuventute *Kollbrunam* amasiam suam

Ca-

Catullus alter vernacule cecinit, ideo *Kollbrunar - Skallde* quasi ob Kollbrunam amens vocatus est. Eo tempore *Thorgrimmus*, *Trolle Groenlandiae* praetor strenuo cuidam viro Islandiae *Thorgeiro*, *Sckorargeir* ob famam invidens; Islandiam, ut eum occideret, sub commercii praetextu petiit, mercesque suas exponit. Accingebatur ad iter Norvegiae navigio suo *Thorgeirus*, sed nautae eius veniam petunt, ut adhuc semel ante abitum in terram descenderent, de mercibus Groenlandicis quaequam empturi, solus in navi remanet infoelix *Thorgeirus*, & ab irruentibus Groenlandis, postquam se aliquorum morte defendisset, trucidatur. Quo facinore patrato *Thorgrimmus* provinciam suam laetabundus repetit. Interim *Thormodus* noster fidissimus occisi amicus in Norvegiam vehitur, & S. *Olai* aulae adscribitur, Regis postea venia iuxta Septentrionalium populorum de *Faidis*, & *duello* leges in Groenlandiam transvectus ipsum *Trolle*, & quatuor eius ex duabus sororibus nepotes terrae eius magnates glorioso certamine necavit, ibique triennio commorans Groenlandiae historiam addidicit, & rhytmis Islandicis reliquit. Tandem in conflictu *Sticklastadensi* una cum S. *Olao* Rege occubuit circa annum MXXX.

Tertius nobis est *Resverus*, ob ingenii sagacitatem *Krackaressur*; idest, quasi unceus: a *Kraag*, quod Danice hamum dicit, vocatus; natus est in praedio *Kvennabrecku* Islandiae Occidentalis A. C. MXV. Novem annis in Groenlandia habitavit, ubi aliquas ab incolis

lis iniurias perpeſſus acerbius illas ulciſcebatur, & ab *Haraldo Hardraade* Norvegiae Rege exulare cogitur. Inde *Svenonem Vlfonis F.* Daniae Regem inviſit, eique triginta accipitres, inter quos quindecim nivei erant, & quinque candidos urſos Groenlandicos donario attulit, Rex illum grate excipit, & cum duobus Filiis ad vitae dies duodecim pagis in *Wend-Syſſel Iuthiae* donat. Vbi ſaepius *Haraldi* Regis Norvegi perſecutiones victor ſemper ſubſtinuit, & tum Danos, tum Islandos de rebus, & Hiſtoria Groenlandiae inſigniter erudivit.

Quartus eſt *Helgo* ab arte Rhytmica *Kalldbelge* vocatus, qui Islandus *Thordiſam* celebrem Groenlandiae matronam in coniugium ſumpſit, familiamque ſuam Groenlandicam effecit, & accuratiſſimus ſcriptor eius provinciae in magnum uſque ſenium exſtitit.

Quintus eſt *Thorfinnus Kallſefnerus*. Hic uxorem habuit *Gudfridam Thorberni* magni nominis Islandi filiam, quae primo *Thorſteno Erici Ruffi F.* nupſit, quo defuncto ad ſecunda vota cum *Thorfinno* tranſiit. Qua occaſione hic Groenlandus effectus, *Winnlandiam* Groenlandiae provinciam, noviterque detectam nova cum coniuge inviſit, coloniam ſexaginta ſodalium ſecum trahens, ubi illi poſtmodum celeberrimus, quem ſupra nominavi, *Snorro* natus eſt. Pater poſt biennium Islandiam repetit, praediumque *Glaumba* in ſinu *Skagaſiord Snorroni* filio reliquit. Hic poſtea annalibus Islandicis, & Groenlandicis clarus exſtitit auctor, quos *Snorronis* demum filius *Runulfus*, nepos *Thorlacus* an. MCXIX. Epiſcopus Schallholtenſis,

pro-

pronepos *Branderus* ibidem an. MCLXIII. Episcopus, *Biorn*, similiter Episcopus, *Haucko* Islandiae Nomophylax, seu Prorex continuavere. Quorum ultimus MCCCVIII. floruit, opusque Chorographico - Chronologicum *Haucks Bock* dictum mira arte confecit.

Sextus est *Biorno Enarius* vir opulentus, qui tertio Romana limina cum coniuge sua *Olava*, ultimo autem MCCCLXXIX. & terram Sanctam petiit, redux Nomarcha Erichsfiordensis inGroenlandia effectus, accuratissimum itinerarium Groenlandicum conscripsit.

Haec tam fuse ex doctissimo *Iona* tradidi, ut quisque non sine monumentis contra nimis antiquam Groenlandiae populationem nos decertare videat, nec Islandiae accuratiores, quam aliis populis antiquos deesse Historicos. Quibus in unam convenientibus Epocham, quam diximus, recentior, ut *Arngrimus* annotavit, statui, MS. unius autem incauta, & improbabilis traditio merito explodi possit. Tanto magis, quo Formula foederis *Carolum M.* inter, & *Hemmingum* Daniae Regem, ipso, contra quem agimus, *Pontano pag.* 95. teste, a descriptoribus posterioris saeculi corruptissime transmissa de contemporaneo quasi Bullae dictae monumento magnum nobis dubium relinquit. Quis etiam Norvegiam ante Daniam, vel eodem tempore, minus Islandiam, minime autem Groenlandiam conversam credet. *Saxonis aevo Hollandia vix nota, aut nominata fuit*. Sic hostis noster *Pontanus* ipse in *Fridlero Rege Daniae* XXIII. *pag.* 22. *op. hist.* qui Saxo MCCI. mortuus est Grammaticus,

Ansga-

Anſgarii ergo temporibus, qui DCCCLXVI. ante hunc CCCXXXVI. annis deceſſit, quis, Groenlandiam populatam, minus converſam credet?

Vidimus ergo Groenlandiam XVIIIM. detectam, XIVM. occupatam, M. Chriſtianam; legibus Islandicis gubernabatur, & ubi in ſpirituali ab Epiſcopis Drunthenſibus in Norvegia iam dependebat, ſic MXXIII. etiam Regi eius facta eſt tributaria, MCCLVI. a fidelitate defecit, & Regi *Magno* Tributum ſolvere denegavit. *Ericus* demum Rex Daniae a *Norvego* rogatus expeditionem navalem in Groenlandiam rebellem molitur, quae ſeveriora non experta eſt molimina, ſed ſtatim ac viſae Danicae Claſſi ſe dedidit. Nec voluit Rex Daniae debilitati *Norvegi* Regis abuti, ſed potius ei neptem ſuam in coniugem dedit, & poſſeſſionem Groenlandiae ei ſtabilivit. *Claud. Chriſt. Chron. Dan.* Quae pax concluſa eſt MCCLXI. atque a tribus principalibus Groenlandiae Toparchis ſic notatis ſubſcripta. *Otto de Siolltum, Paulus Magni F, Leiſſerus* (Knarrarleiffur dictus a Knarr, quod navis dicit:) *declarantes ſuis factum auſpiciis, ut Groenlandi perpetuum tributum Norvego denuo iuraſſent. Arngr. ſpec. Isl.*

Anno MCCCLXXXIV. famoſus in Septentrionalibus chronicis morbus *Peſtis nigra* dictus, tantam integrorum populorum copiam ſubripuit ut omne penitus comercium Norvegiae, Sveciae, & Daniae maxime cum Groenlandia, gentium ſubſecuta miſeria, virorumque inopia fato triſti ſuccubuerit. *D. Wormius* dicit ſe in quodam antiquo Danico Manuſcripto legiſſe, quod an. 1484. ſub Rege *Ioanne* in Civitate eius

Re-

Regni *Berga* plusquam quadraginta adhuc nautae exstiterint, qui annuo Gruenlandiam peterent, mercesque ingentis pretii exinde referrent; quas dum illo anno mercatoribus Germanis vendere nollent, ab his ad coenam invitati omnes trucidati fuerint. Constans tamen est Tributum Groenlandiae antiquitus tabulae Regiae destinatum fuisse, nec ullum nautam sine expresso Regis mandato Groenlandiam mortali sub lege prohibitam petere ausisse. Quod sequens Chronici Danici historia confirmat. An. MCCCLXXXIX. sub Regina *Margerita*, quae tres Septentrionales Coronas in una sui persona univit, in quo etiam ultimus Episcoporum Gardensium *Henricus* Comitiis Neoburgicis in Fionia intererat, accidit aliquos mercatores Groenlandicas oras appulisse, & prout tributi Regiae mensae violatores laqueum non aliter nisi terribilissimo supra SS. Evangelia emisso Sacramento evasisse, quo se naufragio ad illas oras invite eiectos fuisse, nec merces retulisse ullas affirmarent. Quod omnibus postea maiorem mandati Regii terrorem inculcavit; Accedit missa postea a Regina navigia non amplius rediisse; nec quemquam, quomodo, ut credibile, factum fuisse, est, perierint; rescivisse. Perterriti pauci qui aliunde a peste remanserunt, veteres nautae, nullo modo se Groenlandico mari committere ausi sunt. Nec Regina Bellis Svecicis occupata animum illi commercio dare potuit. *Relat. Septentr. ex Chron. Dan.* omnibusque historicis Septentr. Cadit ergo a se ipso dictum an. MCDLXXXIV. de nautis trucidatis commentum.

An.

An. 1406. *Eskildus* Episcopus Drunthensis *Andream*, quem vice Episcopum Sihallholltensem in Islandia fuisse scimus ex *Argnr. Spec. hist.* in Groenlandiam, ut si interdiu *Henricus* Episcopus Gardensis mortuus fuisset, illi succederet, aut vitae certitudinem referret, ordinatum emisit. Hic autem, nec navigium, quod conscenderat non amplius visum, aut quidquam de illo auditum fuit. *Chron. Dan.* Continuatio postea multarum calamitatum Ditionibus Septentrionalibus superveniens tantam nobis non invenire dedit provinciam. Rex *Ericus Pomeranus Margeritae* succedens nec se de Groenlandiae nomine pigerrimus princeps informavit. *Christophorus Bavarus* a bellis Vandalicis in Pomerania animum alio admovere impeditus est. *An.* MCDIIL. *Christianus I. ex Familia Oldemburgica* hodiedum regnante, regni sui tempus peregrinatione in Vrbem consumpsit, ubi a Papa provinciam Dithmarsiae coronae obtinuit, & Academiam Hafniae fundavit. *Christiernus* II. non solum Groenlandiam non acquisivit, sed Regnis Patriis a statibus in Danicum, & Svecicum se Imperium de novo dividentibus ob tyrannidem suam exutus est. Cancellarius eius *Wallkandor*, vir insignis virtutis, Archiepiscopus Drunthensis, omnem animum admovit, ut Groenlandiam recuperaret, ideo quaecumque de ea antiquitus scripta invenit, collegit, mappam nauticam ex relationibus construxit, ut iter deperditum inveniretur; sed *Fredericus* I. Norvegiae, & Daniae invasor, ne fors cum *Christierno* deposito conspiraret MDXXIV.

Ar-

Archiepiſcopatus cedere ſede iubet, & Groenlandiae ſocietatem noviter detegendae erectam diſſipavit. *Vallkandor* e patria profugus Romae mortuus eſt. *Chriſtianus* III. tentare aditum, ſed inutiliter iuſſit, quo viſo leges de Groenlandica inhibitione abolevit, & cuilibet iter illud aggredi permiſit. Sed Norvegii morbis, bellis, & paupertate ita inermes erant, ut nullus hoc aggrediendi capacem ſe ſenſit.

Eius Filius *Fredericus II.* *Magnum Heigningſen* illuc deputavit, qui poſt varia diſcrimina illam detegiſſe narratur. Sed illi licet viſae, neſcio quid navis iter inviſibiliter retinente, illuc attingere impoſſibile erat. Quod ille Magneti in maris fundo exiſtenti attribuit; ſit fides penes *Chronicon. ad ann.* MDLXXXVIII.

An. MDLXXVII. *Martinus Forbisher* Anglus Groenlandiam quaeſivit, terram detegit, ſed illo anno irruente iam nocte, & hyemali glacie in illam deſcendere non auſit, & in Angliam redit, cui Regina *Elizabetha* vere ſequenti tres naves ad dictam dedit expeditionem. Hic in terrae detectae oriente deſcendit. Illic rudes habitatores videt, de quibus, quod noſtri Groenlandi ſint, nam nullum populi cultus, aut morum iam mundi noſtri commercio limatorum, aut in veſtitu, aut lingua, & religione veſtigium, ſed falſum, traditoremque, & barbarum populum vidit, rectiſſime dubitandum. Sine habito etiam ob illorum ferociam ulteriori commercio *Martinus* navim in Angliam redux conſcendit.

Chri-

Christianus IV. Rex Daniae tribus navibus sub *Gotske Lindenau* Nobilis Dani Imperio deputatis An. MDCV. Groenlandiam denuo attingere tentavit, solusque navigio terram *Nordest* (ut aiunt) versus appulit, ubi incultos barbarosque incolas, cum quibus triduo negociavit, invenit. Quarta demum die duobus barbaris secum retentis Daniae iter redux petiit. Aliud ab experto quodam Anglo ductum terram Occidentalem repetit rostrum, ut credibile est; non longe a Promontorio *Farvell*, & sinu *Davis*, virideque, pulcherrimum, & fertile solum vidit, ubi autem ob populi barbari, & traditoris diffidentiam multum negociare minus terrae immorari ausus; Daniam repetit, postquam mineralia argenti satis opulenta, quorum specimina secum retulit, detexerat, Regique una cum allatis tribus barbaris praesentaret.

Contentus Rex huius anni factis experimentis, sequenti MDCVI. eundem *Gottske Lindenavium* quinque proris in Groenlandiam remittit, qui tres barbaros in sinu Davis captos sibi ad interpretationem deserviendos secum ferens, quatuor puppibus; unam enim perdiderat, in Groenlandiae solum itinere, quod anno praecedenti Anglus tenuerat, habito attigit, ubi post parva cum incolis incultis negotia, aut commutationes, uno Dano, qui solus terram ingrediebatur, a barbaris occiso, Daniam repetit.

Tertium tandem tentamen, & ultimum Rex idem duabus navibus duce *Karsten Richkardtsenio* molitus est; Quia autem quandoquidem

non

non omnibus annis glacies illius maris, vel non satis cito funditur, ut non prius novae hyemis glacies adveniat, ob glaciales se instar magnorum montium compilantes acervos inutile iter reditu finivit.

Licet Rex Daniae omnem Groenlandiam iterato quaerendi animum perdiderit, non defuere tamen mercatores quidam, qui societatem, sub Groenlandici foederis nomine patrocinio primarii eius membri Supremi Magistri Palatii Regni Daniae inirent. Miserunt hi ergo An. MDCXXXVI. naves duas quae iter ad sinum Davis inirent; Commercium ob populi paupertatem tam parvum fuit, ut Dani, qui maius lucrum quaerebant, redire cogitarent, sed visa lucida coloris, & ponderis aurei arena, aliquam eius quantitatem auferentes, ut iam abunde divites, patriam repetiere. Sed infelices! Nam aurifaber, cui haec data est arena, nec unum quidem auri granum extrahere poterat. Iratus Magister Palatii nautam tam credulum fuisse illum in mare redire, seque, & stultitiam suam in Balticis undis velis in aere levatis sepelire iussit. Miser autem nauta parvo post tempore in navi sua morbo, & tristitia confectus obiit. Quod vix contigerat; quum alius artifex ex eadem arena, magnam proportione habita auri quantitatem extraxisset, & tam primi artificis inscitiae, quam imprudentiae, nec reparandae tyrannicae praecipitationis dicti Aulici reliquisset monumenta.

Libet pro corollario addere An. MDCXIX. *Munckium* a Rege ad detegendum aliquod iter, quod

quod per mare Groenlandicum in Indiam, aut Tartariam Orientalem duceret, missum fuisse, qui transacto promontorio *Forvell* varias Insulas Groenlandiae adiacentes invenit, & nominibus decoravit, demum sinum *Hudzonii*, quem *Christianum* appellarat, transiens, in terra sine dubio Americae, maris Christiani, oris supervenientem Hyemem transegit, ubi post varia discrimina sociis morbo in Septentrionali mari satis communi, quem scorbutum vocant, cadentibus, duobus ex sexaginta quatuor residuis Daniam repetiit. Aliquo tandem postea tempore, quidam nobiles, & cives duas alias puppes construunt, quibus *Munckius*, postquam, quomodo passis in primo itinere inconvenientibus obveniret, serio cogitasset, iter secundum reassumere tentaret, iamque paratus proram conscendere, cum Rege loquitur, qui varia de pristina eius via illi colloquens ei exitium nautarum perpessum improbravit. Cui hic inurbanius respondens irae tantae ansam dedit, ut Baculo a Rege in ventrem tangeretur. Tanta viro benemerito adeo doluit infamia, ut in paucis abinde diebus poenitudine, & fame spontanea moreretur.

His dictis tandem quaestio orietur, quo Groenlandia antiqua devenerit, quae illius forma, & mores? Quibus, prout potero, Discursu sequenti respondebo, ne longior iusto esse accuser. His interim ex *Chron. Dan. Claud. Christ. Arngr. Ion. Spec. Isl. Pontano*, *Wormio*, *Relationibus Septentr.* contentare, iustaque semper licet inscrutabilia Dei iudicia gratus adora.

DIS-

DISSERTATIO VI.

De Geographia Groenlandiae veteris & novae.





Oſtquam narrando, quae nobis Chronica, tum Islandica, tum Danica reliquere, unum folium rebus non in omni hiſtoria tritis conſumpſimus, non poterimus curioſitati noſtrae non ſatisfacere, ne in terrae, cuius hiſtoriam dedimus, formam, moreſque indagemus? Quod fors optime ſequenti methodo exequi valebimus, ſi prius veteris, ſeu deperditae terrae, poſtea vero novioris, vel detectae deſcriptionem enunciemus.

Sub *Groenlandiae* nomine terram illam amplectimus, quae nobis maxime Septentrionalis nota eſt, mari glaciali adiacens a Promontorio *Farvell* Oceani Deucaledoniani uſque ad Orientem Spizbergam, & Novam Zemblam verſus. Pro confinibus eius ad *Orientem* mare Glaciale ſtatuitur, quia an uſque ad Tartariam ſe extendat, incertiſſimum eſt; ad *Meridiem* ſecuriſſimum ſcimus eſſe Oceanum Deucaledonianum, ad *Occidentem* Iſthmum, & ſinum *Hudzonii*, ſeu

Christianium mare, quod illam ab America separat, an autem superius usque scindat, nescimus, quia *Septentrionem* versus largitudinem, limitesque, & omnia eius ignoramus. Ideo Extremum orbis ad Septentrionem *Chron. Dan. Christopherf.* appellat, quia nulla nobis terra altior ad Polum cognita, vel polum ipsum attingit, aut si ab illo separatur, quid intermedium sit, palpitamus. Forma eius nobis meridiem versus talis nota est, ut illam a Promontorio *Farvell* longiorem, usque ad *Spitsbergam* declinare, minuique videamus. In plerisque mappis 59. grad. Elev. Pol, a *Mounckio* autem nauta accuratissimo 60. gr. 30. minut. dictum promontorium detectum, & assignatum est. *Spitsberga* autem in Relationibus Danicis, infra 77. gr. esse perhibetur. Longitudo in *Perrer. Groen. Rel.* nec *Danicis* non computata est, sufficitque illi Promontorium *Farvell* ultra *Canarias*, & Meridionalem lineam esse, dixisse. Ut tamen aliqua quodammodo idea haberi possit, non longe a 30. gr. ultra lin. Mer. abesse, *Spitsbergam* vero 27. gr. & 30. min. fors subiacere ex accuratioribus mappis eruebam. Tamen coniecturam meliori libentius argumento submittam: Haec de promontorio *Farvell*, licet illud ipsum non pars continentis Groenlandici, sed insulae illi anterioris, per plateam *D. Martini*, & *viam Forbisheri* separata. Nomen Groenlandiae non, ut *Adamus Bremensis vult*, *quia homines ibi a Salo caerulei, regio illa accepit. Sit Dan. & Rel. Septent. Reg. c.* 244. Sed quia, ut praecedenti Dissertatione dixi, *Ericus Ruffus* post primam hyemem vere re-

redeunte virentem ubique terram, florensque solum detexit, *viridem Regionem*, *Groenland* ob foecunditatem nominavit. *Arng. Spec*, *Christ. Chronic. Dan.*; *Peyrrere Relat. de Groen.* qui etiam montem primo ob *Glacies Mukla Iockel*, ideft, *Mons Glaciei*, postea, dum hac se diffundere incoepit, ob subcaeruleum, & viridem Marinae glaciei colorem (: quem se fundendo recipit :) *Bloserckem*, ideft *Caeruleum indusium*: postremo demum, dum nives iterum redeuntes glaciem tegunt, *Indusium Album*, seu *Huidsereken*, quod nomen ei remanserat, ex differentibus iuxta tempora diversa aspectibus appellavit.

Nunc ad continentis ipsius descriptionem: Urbs in ea magis Orientalis est *Skagefiordum*, ubi rupes quaedam inhabitabiles, & in anteriori maris scopulus, qui nisi, dum aqua maxima est, navibus accessum difficilem reddit. In hoc portu multae balenae, aliique pisces, qui Tempestatis tempore illum abundanter intrant, capi solent. Modicum altius Orientem versus Portus est, qui *Funchebuder* dicitur, quia Ephebus quidam S. *Olai* Regis Norvegiae nomine suo, & naufragio, quod in eo perpessus est, appellationem ei inditam reliquit. Ascenditur adhuc, non longe a montibus quibusdam glacialibus ad Insulam, cui nomen *Roansa*, ubi ursorum alborum, aliarumque ferarum felix venatio. Rotro nil nisi glacies terraque, marique videtur.

In Parte Occidentali est sinus dictus *Kindelfiordum*, cuius ora omnis inhabitata est. Ad eius dextram est Templum in crucis formam erectum, ideo *Korskircke* dictum. Hic Circulus

extenditur usque ad *Vandalebug*, ubi Monasterium quoddam S. *Olao*; & S. *Augustino* dedicatum est, quod usque ad *Baltens* extenditur. Prope *Kindelfiordum* est *Rumpsenfiordum* Monasterio Virginum Religiosarum, multisque vicinis, & parvis Insulis, in quibus aquae, maxime hyemali tempore, calidae, minerales, & perquam sanae esse perhibentur, insigne. Non longe abest *Einets Fiordum*, inter quod & *Rumpsenfiordum*, domus Regalis, *Fos* dicta, videre est, hic magna quaedam Ecclesia S. *Nicolai*. *Lunesfiordi* est Promontorium *Klining*, ulterius sinus *Grantevvig.*, a quo itur ad domum *Daller* dictam, Ecclesiae Cathedrali Groenlandicae appartenentem, quae etiam totum *Lunetsfiordum*, Insulamque eius *Reyatsen* ob captum *Cervorum cursorum* possidet. In hac Insula invenitur lapis *Talguestein*, qui igni fortiter resistit, tener autem se cultro subdit, ita ut exinde, quaecumque vasa formentur. (: Credo hunc eundem, esse, qui in China, & ut quidam iudicarunt Septentrionalibus in partibus reperiendum. Communis est, & per *Rutenos* nobis saepius affertur, *Spekstein*, quem, quia cultro ut laridum scindimus, lapidem Larideum vocamus.) In hac ulterius sunt octo villae ad Ecclesiam Cathedralem pertinentes. Vicina Templo *Einetsfiordi* est Domus Regia *Hellestadium*, & prope sinus *Erricsfiordum*, ad cuius ingressum Insula *Herrivienae*, id est *Domini* distinguitur, cuius medietas Ecclesiae Cathedralis, alia *Diurnensis* proprietas est; Haec primitus in Groenlandia erecta est, & in *Erricsfiordi* ingressu videtur, omnemque *Midfiordum* possidet.

Ibi

Ibi Septentrionem versus est *Bondesiordum*, hic multae Insulae, & portus. Omnis terra inter *VVestrebug*, & *Ostrebug* inhabitata est, ubi non longe abest Ecclesiae *Groenlandiae* sedes, *Bordum*, seu *Gardum* ab *Arngrimo Iona*, & *Chronicis Islandicis*, & *Dan. Claud. Christ.* omnibusque aliis; ab *Iver Berto* autem, huius Relationis geographicae auctore, *Stronum* appellata. Hic *Iver Bertus* longo tempore praefectus Domus Episcopi Groenlandici, & ipse contra Barbaros *Skreglingros* missus est. *Skreglingri* totum *VVestrebug* obtinent, ibi Equi, Caprae, Boves, ovilia, & ferae abundantes sunt. Intra *VVestrebug* magna rupis *Himmelradsfiel* dicta est, nec ibi propter Charybdes quisquam navigare audet. Episcopalis *Bordi sedes* ab *Arngrimo* non ad *VVestrebug*, sed in Opposita Orientali parte, sinuque *Einatsfiordum* ponitur, & in *Ostrebug* etiam civitas quaedam *Alba*, Monasteriumque *S. Thomae* mari adiacens notatur ex *Chronic. Dan. & Norv. a Perrerio Rel. de Groen.*

De Magnitudine *Groenlandiae* nil aliud dicere possumus, quia nulla unquam illius fines ob glacies circumscripsit navigatio, quam partem eius a Christianis habitatam vix centesimam territorii extensionem obtinere, ut Chronica Danica conveniunt, illamque a variis populis sub variis Dominis habitari, quorum ad nostros Groenlandos nulla unquam notitia pervenit, cuius nobis exemplum credibile est sumendum, a noviter detectis *Groenlandiae*, in tam differentibus sitibus ita incultis Barbaris, tanto magis, quo Christiana terra tam exigua erat, ut Episcopatus *Gardensis* vix

 ter-

tertiam dioecesis Danicae effecerit, *Chron. Dis. Isl.* quae non maiores sunt Gallicis; Observamus etiam *Skreglingros* in citata *Iver Berti* relatione, antiquiores Norvegicis Incolis *Groenlandiae* Barbaros fuisse, qui ulteriorem nostrorum extensionem impedivere.

Relationes quaedam Geographicae eam frigoris causa, sed male sterilem voluere. Magis autem credendum est Chronico Islandico populi vicinioris, quod dicit terram aliquibus in locis esse sterilem, ubi nil crescat, aliam autem in eadem regione fertilissimam; quod apte cum *Cron. Dan.* convenit dicente: Ericum Russum, dum Regionem illam appulit, ob soli miseriam ab hamo victum quaesisse; eius autem successores ulterius terram ingredi post eius mortem prosequentes montes fertilissimos, prata, flumina, rivos, ab Erico necdum detectos invenisse. Nec frigoris ratio quidque dicit: nam *Uplandia* eadem elevationis Suecica provincia omnium bonorum fertilissima est, nec tantum frigus *Groenlandiae*, quam *Norvegiae*, in qua tamen nullae rei frumentariae est egestas, inesse ipsum nobis Chronicon perhibet.

Mixta ergo est, ut aliae provinciae, sterili, fertilique solo, montibus, & planitie variata, multaque rupes, quae picto marmore clara, nec pascua desunt, uti Equorum, Leporum, Cervorum Cursorum, Lyncis, Vulpium, Ursorum alborum nigrorumque copia abundat; Illinc nobis Falcones maxime candido colore rarissimos *Gerfalck* dictos, Illinc martes, Castores, Zibeli-

belinis Moscoviae ipsis non inferiores comercium attulit; Mare piscibus maxime *Balenis*, unicornibus *Narval* dictis, Vaccis marinis, talibusque monstris aquaticis exuberat. Quoad meteorica illius Regionis haec notanda veniunt. Frigus, tempestatesque quidem asperas saepius, non tamen, ut in reliquo Septentrione frequentes, nec tantae durationis esse; Aestas illi semper noctu, diuque vaga, si tamen crepusculum continuum, quod noctis brevissimum spatium obtinet, noctem adpellemus. In Hyeme brevissimum spatium dies dici potest, noxque longissima tempus tenebris occupat, quae tamen luce quadam clarissima, quam *Auroram Borealem* vocamus, maxime circa novilunium deliniuntur.

Mores *Groenlandiae veteris* Islandicis non absimiles iudicare possumus, quia huius insulae legibus a Proregibus suis Norvegiae nomine moderabantur, politicum ab illius Rege sustinentes, spirituale a Drunthensi eiusdem Regni Episcopo petentes mandatum.

Iam ex antecedenti discursu hanc regionem tot calamitatibus perditam, vel ut melius dicendum, ab orbe quasi inaccessibiliter separatam intelligimus. Quae autem ratio esse possit tantae difficultatis, huc usque omnium tum naturalis historiae, tum Geographiae criticorum ardua tentata est provincia. Si a remora, vel a magnete quodam submarino se impediri quis dicat cum *Magno Heigningsen*, surdo canet fabulam, ne

 refu-

refutetur. Omni tempore periculosissimam fuisse Groenlandiae navigationem, ex naufragio Episcopi *Arnhaldi*, quod a *Iona Arngrimo* narratur, ex eo Ephebi S. Olai, qui Portui *Funchebuder* exitio nomen indidit, *Iver Bert. Geogr. Isl.*, Mercatoribus invite in hanc regionem eiectis sub Margarita Septentrionis Semiramide, *Chron. Dan.*, ipso situ tot insulis circumdato, tot montibus glacialibus involuto, tot rupibus infausto, maris glacie se non omnibus annis, antequam nova iter tardum non antevertat, diffundente, se diffundendo nova pericula nautis intentante, nocte, Hyemeque longa facillime persuademur, in dies tamen navigationem Septentrionalem peiorem devenire, quisque naturaliter inferet. Nullo enim anno non glacies multa remanet, omnique hyeme maior adiungitur, multiplicantur natantes ruptae glaciei scopuli, crescunt, & augmentantur ex illis in mari glaciales montes, &, ubi intra Insulas semper quidam, vel velocior cursus, vel circa terrae cuspides rapidior natantium tractus, feruntur in congeriem immensa glaciei rudera, vicinasque sibi insulas serie montium nova coniungunt, & isthmos, quibus transitus patebat, impenetrabili muro obfirmant. Videamus an quid coniecturae ea in re capere possimus. In Chronico Islandico exst at Caput quoddam, cuius Rubrica sic dicit: *Via, & Navigatio ex Norvegia in Groenlandiam*; *Textus est*: *Verum iter ita, ut expertissimi in Groenlandia nati, huc ultimo redeuntes nautae nobis retulerunt*,

runt , eſt : a Nordstaden Sundmur in Norvegia Occidentem verſus uſque Horenſunt , in parte Orientali Islandiae , navigatio eſt ſeptem dierum . Porro a Suofuels Iockel , qui mons Islandiae ſulfureus eſt , uſque in Groenlandiam breviſſima eſt navigatio Occidentem verſus . In Itineris medietate intra Islandiam , & Groenlandiam Gundebiurne Skeer repetitur . Hae ſunt multae inſulae, & rupes , a nullo niſi ab urſibus inhabitatae, heic glacies retentae, montes , quos ſol liquidare non poterat , effecerunt , & petrefactae ſunt : Si ergo inter has, via, cuius illae medium itineris ſignum fuere , in *Groenlandiam* patebat , ut veriſimilius nobis ex dicto diſcurrendum eſt , rupibus obſtruſis , & impetuoſo vento accumulatis obturata certe eſt , & nullum noſtrorum nautarum , illas tranſire auſum ex Relationibus comperimus ; Ideo ad Promontorium *Farvell* in Iſthmum , & ſinum *Davis* ſe vertere coacti ſunt . Nec nos ad ignem a Coelo dimiſſum , vel terremotum , qui illam regionem in mare deieciſſet , confugere neceſſe eſt . Primo in illa Regione rariſſima ſunt tonitrua , quod non tantum ex poli Elevatione , ſed & Chronico Danico colligebam , ubi An. MCCCVIII. ut extraordinarium quid tonitrua, & tempeſtatem vehementem annotatam videmus ; dicit quidem ignem de coelo deſcendiſſe , & certam Eccleſiam *Skalholt* dictam abſumpiſſe, quamdam ego ſimplex tonitru , fulguribus comitatum, fuiſſe iudico, hoc quia fors minus ſaepe viſum , pluvia ignea credebatur . Poſtea tem-

pestatem tam ingentem perhibet, ut rupes disruptae caderent, cineresque evomerent, qui postea pluviae instar reciderunt. Nec hoc quid prodigii involvit, quia effectus sulfureorum, & ignivorum montium, quibus *Laponia* ipsa abundat, *Islandia* non caret, nec *Groenlandia* certius expers erat, ut quae sulfure aquisque mineralibus gloriabatur, ex *Iver Bert.* Tempestas talis iam non communis illi terrae iudicanda est, quia Chronicon, ut quid extraordinarium narravit, sic nobis inanes, & fortiores postea tempestates, vel plane prodigia nullo cogente effingere non licet, ubi per tot annos neglecta calamitatibus navigatio ex dictis supra rationibus tam facile terram perdidisse potuit; Quod maxime deplorandum, populus ille iam Christo aggregatus, an exstet, nec ne, quid devenerit, quid religio? An a *Skreglingris*, aliisque *Greonlandiae* barbaris absumptus sit, nullum nobis nec minimum superest indicium; Postquam de veteri *Groenlandia* illa, qua possumus, securitate, tanta narravimus, dignum est, ut *Novam*, sed ab ea tam diversam moribus *Groenlandiam* prima ab oculis perdita inveniamus.

Martinus Forbisher MDLXXVII, ubi pedem in terram posuit, habitantes quidem, sed ad tractandum cum nostris non inducendos, sub tentoriis ex pellibus marinis confectis, non nisi occidentem, & meridionem versus portas aperientibus, vidit. Dum alio loco descenderat, barbaros iterum repetit, qui varias illis texebant insidias, nec ille, nec

post

post illum *Mounckius*, aliique, qui *Groenlandiam* petiere, illos tractabiles reddere potuerunt. Variis marinis pellibus vestiuntur omnis linguae addiscendis, ut ex aliquibus eorum, in *Angliam*, & *Daniam* vidimus, incapaces, Patriae suae Barbarae amantissimi, nulla nec minima quidem linguarum Septentrionalium, aut antiquae *Runicae* est similitudo. Parvae illis sunt cymbae ex lignis balenarum nervis consutae; pellibus balenarum tectae, vela ex intestinis piscium, minoribus itidem nervis contexta. Quibus se mari liberrime comittunt. Maiores usque ad viginti personas continent, minores unum tantummodo portant, his multa dexteritate omnem nostrarum nautarum celeritatem vincunt, arcubus, fundis praeliantur, iacula piscibus in aqua magna fiducia infigunt, magnis canibus ad trahas suas vehendas, ut alii equis, aut cervis cursoriis utuntur. Nec *Lindenavius* meliores sua ex parte invenerat, licet lapides argento onustas attulisset, ex quibus 100 tt. lapideae 26. tt. argenti dederunt, monetam non aestimant, sed cultra, parva vitra, splendentia specula, aliaque id genus ludicra ita amant, ut ad ea coemenda usque ad nuditatem se spolient. Arma illorum nostris non minus acuta, aut scindentia, licet ex cornibus, dentibus, & ossibus unicornium, quos dixi piscium, non ferro confecta sint. Qui apud nos vivere coacti fuere, lacte, butyro, caseo, carnibus, & piscibus crudis vescebantur, nec panem nostrum, cibosque nostros

ſtros patiebantur. Vinum abhorrebant, oleum autem, & Balenarum pinguedinem magno guſtu bibebant. Non multis abheinc annis Rex *Daniae* colonias in *Groenlandiam* miſit, ſed hae partim aegritudine conſumptae, partim ob neceſſariarum rerum deffectum rediere.

Nec *Nova Groenlandia* tam noviter tantum innotuit, ut non eius indicium prius ortum, alicui Hiſtoriae, aut fabulae in Chronico Danico anſam dediſſet. Narratur MCCLXXI. orto infra Septentrionem, & Orientem potentiſſimo vento multas, & plures conſuetis glacies urſis, ligniſque ruptis onuſtas in Irlandiam deportatas fuiſſe, unde multi recte iudicantes non omnem illis *Groenlandiae* terram notam eſſe, variis vicibus, & navigiis iter illud tentarent, ſed pluries glacie repulſi faſtidioſam dereliquere navigationem. Tamen Reges ipſi ſaepius ad hanc ulterius detegendam, proras, ſed inutiliter, miſerunt; ex veteri traditione tanto magis allecti, quo haec illis venarum auri, & argenti; lapidumque pretioſorum abundantiam promittebat. Sed unde fabula? Perhibet Chronicon Danicum non tantum alias mercatores quoſdam magnis theſauris ditatos ex *Groenlandia* rediiſſe, quod non impoſſibile eſt, ſed & adiungit *S. Olai* Regis *Norvegiae* temporibus nautas quoſdam *Frislandiae* idem eundemque ob finem iter ſibi aſſumpſiſſe; Sed tempeſtatibus coactos in peſſimo quodam portu deſcendiſſe; dumque pedem ſolo infigerent, non ſolum terrenis habitationibus viſis recreatos, verum & ingenti

mo-

mole lapidum minarumque, ubi aurum, & argentum abundanter undique refplendebat, ad earum, quantum potuiffet quifque, auferendum incitatos fuiffe; Prorumpunt interea arcubus, fundifque armati daemonibus magis, quam hominibus fimiles viri incolae, magnis obfecuti canibus, vixque fe, & captos nautae thefauros falvare valent. Unus eorum remanfit in terra in fuga fegnior, quam vita fua in aliorum confpectu a Barbaris difcerptus folvit tarditatem. Inde Fabula venit in hac Regione Saturnum thefauros recondidiffe fuos, qui daemonibus unicis eius terrae incolis confervandi traditi fuerint.

Eft porro alia a Danis inter *Groenlandicas* Regiones computata terra, cui nomen *Spitsberg*, feu *montes cufpidati*; ob optimam Balenarum venationem potius, quam captum celeberrima, fed de hac *Fridericus Martens Hamburgenfis* tam exactam nobis tum regionis illius, tum animantium, & eorum pifcationem dedit, ut nihil in illo defiderari poffit, & quia undique omnium manus percurrit, nil mihi dicendum reliquerit.

Iam ad duas quaeftiones, quae quo magis confideratae funt, magis obfcuriores deveniunt, accedamus. Prima eft, an *Groenlandia* cum *Magna Afiae Tartaria* contigua fit: Secunda an ab *America* Ifthmo aliquo, vel mari feparata fit: Quantum praefertim prima nobis utilis effet, ut quisque eius Oedipus effe valeret; & commercii facilitas, temporis iactura in itinere, quod in Afiam Promon-

to-

torium *Bonae Spei* circumeundo protrahere cogimur, ubi si vel navigatio Septentrionalis in *Iaponiam* usque pateret, vel per *Groenlandiae* continens eo pervenire possemus, exiguum temporis spatium commercii lucrum non ita minueret. Accedit ob magnam victus afferendi tantos ad menses copiam nos exercitum in Asia mittere non valere, ubi, si per Septentrionem accessus patet, maxime si *Groenlandia* Coloniis occupata, & usque ad *Tartariam* protracta proris refrigeria praebeat, magna militum copia in *Iesogasima*, *Iaponem* ipsum, & *Coream* usque minoribus expensis, paucis hebdomadis, penetraret, populosque commercia cum nostris detrectantes, ad ineunda foedera, & ad Missionarios audiendos facillime cogeretur. Porro si vicinitatem cum *Asia*, *Groenlandiae* nostrae sciremus, quanta non exinde migrationis populorum *Americae*, eorumque originum lux, & claritas accederet? & quam feliciter lucubrationibus modernorum Criticorum, qui in evertendis sacerrimis Religionis Sanctae principiis malesuadam gloriam sibi fabricare conantur, sacrilegaque libertate novum hominum genus, aliam Creationem Americanorum, effutiunt, omnemque tam haereticae pravitatis aditum praecluderemus. Tamen postquam omnia, quae nautarum fidissimorum relationes continent, retulimus, fateri cogemur, credibilem maxime post a *Russis* occupatam *Camzatkam* esse vel parvam separationem, vel plane Regionum illarum cohoerentiam, constantem autem statui non posse, dum audacissimi, expertissimique nautae

to-

toties omni conatu eam tentassent detegendam, ipseque *Wood*, qui ante iter susceptum tot eam indissolubilibus ratiociniis comprobavit, susceptum post cursum aliena sensui suo fateri cogatur. Opinioni semper tamen coniecturae naturalioris adhaerebo, quae me ad prodigiosa *Americae* populandae figmenta confugere impedit, quae a glaciebus ipsis ab Orientali *Novae Zemblae* parte vehementius currentibus eruitur, ab ipso hoc omni anno glaciales ob auctas moles excrescente impedimento educitur, a *Iesogasima*, & a *Iapone* non longe distante, e *Siberiae*, & *Tartariae* Septentrionalibus confiniis non in contrarium detectis, a *Corea* non satis circumscripta, a *Camzatka* noviter occupata, a *Groenlandia* veteri perdita, novaque, dum quaerebatur, non inventa, & dum vetus petebatur, fortuito detecta, montibus, & periculis in *Gondebiurneskcer* insulis post pestem nigram, ut dixi, impedientibus, ipsisque infaustarum navigationum diariis, quae vel quodam fortuito casu, vel glacierum abundantia impeditae, numquam aperto mari contrarium coniecturae iudicium formare, potuere, mihi plurimum confirmari videtur. Si ergo haec tantum coniecturis licet, concludere tamen certiora valebimus, quod navigatio illa post *Novam Zemblam* ita periculosa, tot casibus obnoxia sit, ut potius impossibilis modo dici debeat, liceat praeteritis saeculis ex dictis facilior arguenda, semperque difficilior efficiatur, ac si tandem post tot molimina puppis aliqua ad desideratum terminum perve-

nis-

nisset, difficultas tamen tanta remaneret, ut ad Classes integras deducendas numquam perveniremus. Nec *Groenlandiae* cohaerentia, cuius populorum incolendam barbariem experti sumus, navium refrigerio commercia unquam nostra facilitaret. Iam ad *secundam*. *Mounckius*, de cuius infausta hybernatione in terris sinui *Hudzonio* adiacentibus priori dissertatione locutus fueram, Relationem nobis exactissimam maris Christianei praestitit, ubi aliquem Isthmum post eius partem Occidentalem, terram Septentrionis, quam *Groenlandiam* vocamus, ab *America* separare, ob detectum ibi aquae cursum iudicavit, & Danis ita persuadere conatus est, ut si mors quam narravimus, illum non praevenisset, ad illud detegendum iter se denuo adcinxisset. Si ergo per longiorem quendam Isthmum in novum sinum, aut mare potius magnum inter Americae, & dictae terrae ripas transitus pateret, quod tamen ob nimis parvam notitiam nec solide reiicere, nec fatius probare quisquam audebit, certo securior in Asiam, quam per Orientalem Novae Zamblae plagam; ni alia quam glaciei impedimenta noviora occurrant, fore putanda est. Quae tibi lector de Groenlandia veteri, & nova duabus discursibus disserui. Ex *Peyrreri Relat. Isl. & Groenl. Ionae Arngrimi Spec. Isl. Chron Isl*, & *Dan. Savary dict. du Commerce*, *Martens*, *Woode*, *Forbisher*, *Mouncke*, *maxime Barent.* Diariis nitidissimis.

Quare de nominibus a tot nautis variis promontoriis, Isthmis, sinubus, portubus,

In-

Infulis, montibus Groenlandiae novis, mariumque Septentrionalium tam pauca dicam, ratio eſt, quia ob non exactam diariorum horum notitiam, ob diverſa a diverſis nautis eidem loco datas appellationes, vix me intelligere, minus ſolidum ſyſtema exinde ſibi efformare valeret. Quia tamen, ſi fors tempus dederit, Correctionem Geographiae Septentrionalis ſemel ſuſcipere non alienus ſum, interim neceſſaria lectori tam ad autores, quam ad nautas principaliores, quorum diariis uti oportet, eorumque nomina, & tempora dignoſcenda haec illi ex Relationibus Septentrionalibus ſubiicio.

A. 1370. Duo divites Veneti Nicolaus, & Antonius *Zeni* a portu Herculeo exeuntes Belgium, & Angliam petebant, ſed tempeſtate coacti in mare *Islandicum* & *Groenlandicum* reiecti ſunt. *Vid. Hacklvit*, & *Purchas*.

1497. Ioannes, & Sebaſtianus *Caboti* ex Anglia in Septentrionales Americae partes deſcenderunt, eius mappam, & Relationem nobis reliquerunt.

1553. Hugh *Willoughby* tranſitum inter Septentrionem, & Orientem quaerens ad 70. *grad.* pervenit, poſtea ad flumen *Arzina Lapponiae* mortuus cum omnibus ſuis inventus eſt.

1556. Stephanus *Borrovvs* idem iter aggreſſus ad 80. *gr.* 7. min. aſcendit, ſine dubio in *Groenlandiam* venit ex avium, & animalium relatione relicta.

1576.

1576. 1577. 1578. Ter iter Septentrionale, Occidentem versus, aggreditur *Martinus Forbisher*, multos isthmos, Sinus, & insulas detegit. Vid. eius Relationes.

1580. *Arthurus Pet*, & *Carolus Iackman* per Isthmum *VVeigats* Novam *Zemblam* versus perrexere, & rediere.

1583. *Humphrey Gilbert* in nomine Reginae Elizabethae possessionem *Terrae novae* figebat.

1585. *Ioannes Davis* per iter Forbisheri transiit, multaque detexit. Vid. *Harcklevit*, & *Purchas*, *Relat. Davis*.

1594. 1595. 1596. *VVillelmus Barent*. Batavus ter iter Septentrionale in Orientem suscepit, semel in *Nova Zembla* hyemem transegit, varia aperuit. *Vid: eius Relat.*

...... *Hugo Linschooten* duo itinera usque ad Flumen *Oby* in *Tartaria* finivit. *Vid. Relat. Linschooten*.

1605. 1606. 1607. Tria itinera Danica.

1609. Usque ad 16. *Henricus Hudson*, *Iacobus Hull*, *Guillielmus Baffins* multa ad Occidentales Septentrionis plagas detexere. *Vid. Relat. eorum*.

1610. Societas Anglica ad *Groenlandiae* oras Balenarum venationes applicuit, quae An. 1622. maiores Classes misit sub *Poole*, *Foterby*, *Edge*, *Hely*, & aliis, nominaque varia oris imposuit.

1611. *Thomas Button* celebris Mathemathicus terram *Corys Swvans VVest* detexit, altit: 76. gr. 10. min. tenuit.

1612.

1617. *Thomas Marmaducke de Hull* ad 82. gr. aſcendit.

1619. *Mounckius* ad mare, quod Chriſtianium adpellavit 63. gr. 20. minut. hybernavit.

1630. *Lucas Fox*, & *Ioannes VVoſtesholme* iter Forbisheri, & dictorum ſuſcepit, & poſt ipſum *Iames vid. Relat. Iames*.

1933. 1634. Aliqui Angli in Groenlandia hyemem tranſierunt, oriſque multa nomina impoſuerunt.

1653. Dani iter inter N. Zemblam & Groenlandiam, & relationes ſuſceperunt. *Vid. Diſc. prael. Relat. Sept.*

1657. *Zacharias Ghillam* in ſinum *Baffin* ad 75. *gr. lat.* pervenit, commercium inſtituit, & Fortalitium Caroli erexit.

1671. *Fredericus Martens* Hamburgenſis iter in Groenlandiam, & nitidiſſimas Relationes ſuſcepit *vid. Rel. Baffins*.

1676. *VVood* 76. gr. lat. in Oris N. Zemblae perdidit *vid. Rel. VVood*.

His accedit Epiſtol. ad ſociet. Regalem Anglicanam *VVitzenii Geographi* 1691.

Et poſt tot lumina tandem.

Quae dixi, aut tacui, nobis obſcura manebunt.

1629. [illegible] Muscoviae [illegible] ad Samo-
[illegible] dicit.
1629. [illegible]
[illegible]
[illegible]
1630. [illegible]
Pereisleti [illegible] &
ped ipsium Lamer red. Relat. [illegible]
1652. 1653. Aliquot Angli [illegible] recentes [illegible]
[illegible] transducere [illegible] multa [illegible]
[illegible] proficerunt.
1653. Deni [illegible] inter [illegible]
[illegible] & [illegible]
[illegible]
1655. [illegible] in [illegible]
[illegible] commercium [illegible]
[illegible] eruis.
1697. [illegible] Hamburgensis iter in
[illegible] maximas [illegible]
[illegible] fuisset [illegible] Relat. [illegible]
1698. [illegible] Oris N. Zemblae
[illegible] Relat.
In [illegible] Angli-
[illegible]
Ne [illegible]
Quae [illegible]
[illegible]

DISSERTATIO VII.

De usu, & abusu periodi Iulianae.





Erte, qui inter Chronologiae studia de Re litteraria, si quis unquam extitit meritissimus, *Scaliger* noster erit. Hic inter alia critices lumina immortale periodo sua sibi nomen adscivit. Hanc doctissimus *Huetius* in *Huetianis* quasi accuratissimum annorum computandorum Achillem nobis commendat. Eadem adiutus incomparabilis *Petavius* temporum doctrina, & ratiociniis omnibus Chronologici studii optimum aperuit fundamentum, ita ut, etsi nulla amplius postea ulli exinde utilitas consecuta fuisset, sufficere posset, si radios tanto, quod nobis in hoc illuxit, lumine dedisse dicamus; quin non solum illam non reiiciamus, sed & tantae solertiae fructum commendemus.

Exstitere tamen quondam, qui non solum ob aliquas imperfectiones optimum, quod in illa est, caece reiecerunt, sed quasi abusum tantummodo reprachendentes, utilissimum alias eius usum damnavere, inter quos ultimos praecipuus fors antesignanus iudicandus

 est

est doctissimus, severusque adeo Criticus *Boivinus* celeberrimus Acad. A. A. L. L. Lutetiensis Chronologus.

Sed ut rectum eius usum, & abusum distinguamus, oportebit, ut omnibus exuti vel timiditatis spinis, vel audaciae calcaribus nulla re, quam veritate, & rei litterariae utilitate moti arenam ingrediamur. Timiditas rei receptae semel, licet forsan inutilis, & superfluae nos arduum saepius obscuritatis iugum excutere non permittit, ita ut servili pectore animalia indocta rampamus. Ideo Galli moderni *Boivini* ratiocinio hoc praefigunt notandum.

Chronologiam esse studium quotidiani usus, & necessitatis, sic omnem periodum, & calculum, quae non nisi spinosa, & plane inutilis est, ab ea rescindendam esse. Opinionem magnorum virorum nullam in his rebus auctoritatem addere asserunt, ita ut nec ipsos Ecclesiae Patres sequi cogamur. Nec maiorem, sinceriorem que quorumvis auctorum nos ostendere aestimationem, quam si eorum opera ad eum, ad quem illi, si potuissent, elevare voluissent, perfectionis apicem eveheremus. Hoc verorum eruditorum copia, quibus nihil aliud, quam sacra veritas, litterarum incrementum, non temera arrogantia scribendi finis erat, ut *Scaliger*, & *Petavius* ipse, retractationibus suis in indicem usque tam frequentibus saepius nobis ostendere.

Post Gallorum notata, placebit, & additamentum meum non minus sincerae crisi necessarium audire, ne timiditatis Charybdim evi-

evitare volentes, in temeritatis Scylla dignae audaciae nostrae naufragio poenas solvamus. Haec nos saepius ad res etiam utiles, & necessarias inducit reiiciendas, dum novitatis incitamento, quid inauditum dicere cupimus; aut ob alicuius circumstantiae imperfectionem rem, aliquo in casu, quam videmus non necessariam, etiam in illo, ubi utilissima, nulloque meliori eius defectus corrigendus est, adprobare nolumus. Sic *Bayle* utilem alias multisque, ut scimus, infallibilem astronomiam, ob astrologiae iudiciariae vanitatem audacter, non tamen optime reprobavit. Sic Haeretici ob bonarum legum Catholicae, & solum verae Religionis non adhuc edomitis fide casta pectoribus fidei licet ipsi contrarium abusum Religionis respuendae argumenta quaerunt; Nec multis enim est rara discretionis virtus, & facilius omnia respuunt, quam ut bonum difficilius exquirentes veri cuiusdam rei usus, aut rationis iudicium ferant. Sic indoctus sculptor videns statuam alias bonam, cui tamen deformis nasus est, non scalprum assumit, quia reparare mendum ignorat, sed malleum arripit, & bonum una cum rudi confringit, ut se quid corrigere ostendat. Omnis ergo etiam periodus, ubi inutilis, non adhibenda, tamen si alio necessaria, penitus rescindenda non est; praesertim si nulla nobis melior adsit, qua defectum eius supplere possimus. Sic ipsius doctissimi *Boivini* sententiam ad frustra ab eo expetitam, non inventam perfectionem perducemus; id est: Periodi dictae abusum indi-

 cabi-

cabimus, sed usum, ubi utilis est, statuemus, eiusque mentem melius, quam ille ipse potuit, prosequemur.

Antequam autem, & nos quidquam de ea iudicii feramus, quid dicta periodus; Quis eius usus; qui finis; considerandum brevissime veniet. Annus quisque Iulianus ex tercentis sexaginta quinque diebus, & sex horis, absque minutorum fractionibus constat. Indictio continet quindecim annos Iulianos. Numerus aureus, seu cyclus Lunaris novemdecim Iulianos. Solaris, seu litterarum Dominicalium bissextilium eorundem viginti, & octo inserit. Paschalis periodus, aut festorum mobilium circulus est 532. annorum, seu multiplicatio dictorum cyclorum, ergo numerorum 19. & 28., hic est; qui vulgariter *Aniano* Monacho Alexandrino sub V. saeculi initio attribuitur. Eaque Ecclesia Catholica usque ad Calendarii *Gregoriani* erectam correctionem usa est, & in ipso etiam hoc tantae utilitatis opere non minori totius Christiani orbis fructu eam adhibuit.

Diximus supra indictionem quindecim annis constare, multiplicemus ergo hoc indictionis numero Cyclum Paschalem; & habebimus ex quindecim Cyclis exeuntem numerum 7980. annorum. Hunc novum Cyclum *Iulianum* ab annis *Iulianis*, vel *Scaligerianum* ab eius inventore *Scaligero* dicimus. Eiusque fines nobis primario assignati sunt duo. *Primus*: ut longiori Periodo ad annum Creationis excurrere, eumque adeo facilius amplecti, & statuere valeamus. *Secundus* ut quilibet

libet annus tribus signatus caracterismis cum nullo alio unquam commutari possit, impedire debebit.

Chronologiam duplicem etiam esse *Historicam*, & *Technicam* cuilibet notum est; *Historica*, in qua sub differentibus Epochis facta Historiarum narrantur; *Technica*, qua anni, & epochae discernuntur, computantur, finguntur, & diiudicantur. Nec unquam nobis a *Scaligero* Periodus sua ad primam in praxim redigendam, sed tantum ad secundam elucubratione inquirendam data est. Inutile ergo est *Boivino* illam in Historiis reiicere, ubi ipse *Scaliger* eam non statuerat.

Concurrentibus ergo in unitatem Periodi huius caracterismis Epocha Periodi Iulianae, seu initium incipit, & quasi epocha minorum epocharum reliquas includit inferiores. Videamus ergo, an dictos duos fines, quos haec nobis promisit, melius iis adipiscatur.

Dicitur *primo* eam non satis remotum ascendere antiquitatis apicem, ut omnes, nec forte plausibiliores circa creationem opiniones includere valeat. *Aera vulgaris* in annum Periodi Iulianae 4714. incidit; consequenter nobis secundum istam non maior, quam dictus numerus, ad mundi creationem statuendam superest. Vbi tamen PP., & primitiva Ecclesia I. C. in VI. millenario natum versione LXX. fulti ita unanimiter statuere, ut Ven. *Beda* se haeresis suspicione periclitasse narret, quod I. C. in V. millenario natum primus statuisset. Ita *Iosephus* ultra 6000. annos excurrit, *Iulius Africanus* 6500. dictavit, *Eusebius Caesarien-*

 sis,

fis, & S. *Hieronymus* 5200. computavere, omnes passim ad minimum 5000. dixere, *Chaldaeorum*, *Aegyptiorum*, *Sinarum Chronologia* multo minus Periodum ingrediente. Taceo de Mythologica Asiaticorum Deorum generatione.

Iam in tam diversa de mundi creatione sententia universum orbem uni systemati subscribere nullus coget, nec tamen ullus inficias ibit, ob fabulosas quasdam Chronologias computum quendam annullare iniustum esse. Si quae mihi alia esset periodus, quae & illas includere valeret, satius hanc respuendo illam amplecterem, dum autem nulla nobis superest, utamur ea, quousque ascendit, & ultro eandem multiplicare quis vetat? Dicit *Boivinus*, intolerabilem esse talem replicationem, sed rationem implicantiae non addit, nec ego non Oedipus illam video. Caracterismi ultra unitatem cessant, verum est, sed nova repititione alii replicantur. Nec exinde ullam confusionem oriri video, si Periodi I. vel II. adiungam; Et si plures caracterismi annum aliquem magis determinant, ad maiorem non confusionem, sed claritatem deserviet.

Accedit, quod necessitatem non videam in Chronologia Critica, & sincera fabulosas Epochas iisdem caracterismis designandi, quibus sententiam nostram corroborari necesse est. Longus absum ipse, ut omni historia paganorum reiecta textui Hebraico infelix hedera corrupto muro adhaeream, nec mihi plures forsan ad I. C. usque quam 4004. annos

nos permittam. Sed longior sane, ut descriptorum libertati in *Pentateucho* LXX. sibi iam S. *Hieronymi* temporibus non minimum quid indulgentium caecus adstem adulator. Ne mirere ergo, si primum timidum, secundum incautum, & fabulosum dicam. Ast de Creationis Epocha semel ex proposito agendum censeo. Interim hoc tamen advertendum, modernorum Chronologorum, criticorumque computum, licet 4004. longiorem, Periodum dictam, vel plane non, vel parum antevertere. Usque adeo ergo longior, & utilior alia mihi Periodus non assignetur, plerarumque sententiarum creationis epochas, alias, si vis, geminato eodem cyclo includam. Si veluti ante A. V., sic ante Epocham Iulianam annos nominabo, & quisque me intelliget.

Dicitur *Secundo*. Nec finem annuae determinationis tanta periodo haberi, quia non Gregorianos, sed Iulianos annos sequens nullam minutorum curam habet, quae cuius sit momenti, quilibet in Sacri Concilii necessarissima ob solstitiorum, & aequinoctiorum statuendorum errores facta correctione clarius agnovit. Si quis igitur Periodi Iulianae sequens caracterismos, solstitia, & aequinoctia determinare vellet in manifestas tenebras incideret, nec solum dies, sed, & ad menses ipsos tandem permutandos laberetur. Chronologiam *Thechnicam* iterum duplicem esse *Historicam*, & *Astronomicam*, primam aliqualiter accurata denotatione contentam, alteram mathematicis calculis subiacere addo. Fateor Periodum Iulianam primo intuitu aliquam mathe-

 seos

ſeos emendationem petere, nec in ſe illam habere, tamen Chronologiam horariam aſtronomicam hiſtoriae raro neceſſariam eſſe, quis ignorat? Facili etiam negotio illam ad hanc reduci poſſe nemo negabit. Nil ergo aliud ex hac ratione ſequitur, quam periodum Iulianam ad computos pure aſtronomicos non deſervire, quod nunquam *Scaliger* petiit. Etſi autem ea Periodus ex annis Gregorianis conſtaret, accuratiorem quidem, tamen non ſufficientem nobis redderet horariam Chronologiam, ita ut cum calendario Gregoriano eidem ſemper correctioni ſubderetur.

De inutilitate nunc dictae periodi agentes, videamus an annos tot caracteriſmis notare Chronologis neceſſarium ſit. Aula Romana in Bullis, & decretis Pontificiis ultra notam Regni, quam maiorem vocamus, etiam minores, ideſt: indictionis, cycli lunaris, & ſolaris addere conſuevit, ne tam facilis impoſtoribus earum maneret falſificatio, & ut, ſi una mutata aliae remanerent, fraus eo citius detegatur. Nec iſta in Chronologia ratio militat, nulla enim ulli exinde foret utilitas, ſi Chronologiae epochas falſificaret, inutilis ergo tanta eſt caracteriſmorum notatio. Si nullae unquam in Epochis annorum permutationes factae fuiſſent, longius haberem, quod reſpondeam; non cupiditatis gratia, non lucri cupidine, ſed aut errore computus, aut criſis defectu, quot non anni principaliorum epocharum permutati ſunt? Aera ipſa vulgaris, ſi ab initio tot caracteriſmis ſignata, ſi tot criſibus, ut modo firmata fuiſ-

ſet,

ſet, nequaquam in I. C. nati Epocha IV. annorum falſaria exſtitiſſet.

Sic continuat *Boivinus*. Si ergo anni nobis, ne permutentur, ſignandi ſunt, numerus ordinalis, poſt Aeram C. idemque quot annorum ante eandem Aeram, deſervire poterit, hic quouſque in antiquitate indigebimus aſcendet, hic omnibus captu facilior, non ut Periodus dicta obſcura eſt, & ſpinoſa; nec timenda ulla unquam eſt permutatio, quia in numero ordinali, 2. nunquam fiunt 4. & ſic de ceteris in aeternum. Quoad Chronologiam hiſtoricam, ſeu narrationem, verum eſt, eodemque modo Scaliger ipſe, & *Petavius* uſi ſunt, nec quidquam in ea re novi video, dum toties Periodum ad Technicam pertinere diximus. An autem in Thechnica per numerum ordinalem concupitos omnes ratiocinii effectus, quos per periodum, adipiſci videamus, neſcio.

Exempli gratia. Primum agonem Olympicum cyclo Solis XVIII. Lunae V. Indict VIII. commiſſum conſtat iuxta *Pet.* Si ad Periodum Iulianam recurras, invenies annum 3938. nec te alium annum habere dubitabis, atque exinde ante Chriſtianam epocham 786. facili negotio a 4714. ſubtractis 3938. argues. Dem tibi autem 786. annum ante Aeram C. quomodo non ſpinoſius computabis, uſque dum, an deſideratum cycli Solis, Lunae, & Indictionis annum habeas, me ſecurum reddideris? Porro ſi quem annum cuiquam indictioni convenire deſiderem, ſi Sabbathicum annum, ſi incurrentia diverſorum annorum initia, an numero ordinali

nali solo me contentum relinques. Quid si quis error irrepserit; an ex eo solo corriges? *Torniellus* an. mundi 3279. Ioathan Regis Iudae primum, & primi agonis Olympiaci Epocham statuit. Convince ergo illum erroris, ut *Petavius* adhibita Periodo, tu solo ordinali numero, & in methodica Chronologia ipsa Periodum deferam. Quam autem faciliter id per periodum factum sit, vide. *Torniellus* Natal. C. in 4051. an. mundi conicit. Detrahe 4051. ab an. Per. Iul. 4713. in quem annus Natalis C. incidit, manebunt 662. Igitur anno Per. Iul. 663. mundus iuxta *Torniellum* creatus dici debet. Quos adde ad annum 3278., quem ille Olympiadis primae esse vult, fient anni 4940. Biennio ergo aberravit. Multiplica enim XVIII. V. VIII. cyclos, & videbis 3938.

Si persequaris *Torniellum*, quem Periodo Iuliana pulsare incoepisti. Et videbis apud *Torniellum* A. C. in A. M. 4001. incidere, sic primus annus AE. C. statuitur 4002. postquam primum Annum Olympiacum indictum annum 3218. conieciffet. Scis Periodi Iulianae esse 4713. deduc annos *Tornielli* 4001. manebunt 712. qui constitutum Periodi Iulianae annum cum annis mundi additis efficere debent, adde autem illos Torniello, & fient 3930. iam octo annis errat. Iam Olympiadis annos Petavii 3208. ex eius methodo 730. Addantur, & fient anni 3938. Periodi Iulianae. Sic errores castigavit *Petavius*, nec certe *Torniellus* annos, vel ex lucri instinctu, vel falsario habitu, sed parvo & fortuito computus errore in-

invitus certe commutavit. Quos *Petavius* sine Periodo fors non tam clare correxisset, nec simplicitas mea tam celeriter concepisset. Compatiatur debilitati meae doctissimus *Boivinus*, si suo more non tam cito errores eruam, quos ipso Periodi adminiculo difficile est evitare, usque dum ab illo noviter instruamur.

Dices quidem, ideo spinosam, quia haec nisi computando resolvi nequeunt, ideo methodica est; an brevius solo ordinali numero ostendisses? Ergo & omnes numeros spinas, et tribulos generare dicam. Dii laboribus omnia vendunt. Vellem, ut quis de re Chronologica inventa quadam illibata, & longiori periodo, quae hos, aut aequivalentes caracterismos ostenderet, aeternum sibi nomen mereatur.

Interim, taediosum cum *Boivino* iudico in Historiis, & earum epochis enarrandis Periodo non tantum Iuliana, sed & quacumque uti, additum numerum ante, vel post aeram Christianam sufficientem caracterizationem arbitror. Hoc enim non thechnicum est, & methodicum, dum autem de Epocha quadam figenda adhuc disputamus, non male in Periodum Iulianam nos convenire video; nec spinosum censeo, quod sine spinis nunquam exhibere se solet, hic igitur *Boivino* vix adhaerere possum, dum nil me, quod non magis spinosum sit, habere fateor. Astronomicus calculus per eam etiam ingreditur, non finitur, sed haud difficulter ad metam perducitur. Quoad memoriam sublevandam tamen

si

si Epochas ante Aeram C. statueremus numero Ordinali satius quam periodico expetita Magni *Petavii* venia retinendae essent. Si *Boivinus*, aut quisque alius minori computationis spina, maiorique securitate castigationem *Tornielli* solverit non adhibita periodo, numeroque, si tantum velit, ordinali, paratus sum semper illius prae mea sententia amplecti, qui non hallucinari, sed instrui paratus sum. Hic usus, hic abusus est celebris Periodi; an timidi, an audacis notam incurrerim, nescio.

	Ante Aeram C.
Periodus Iuliana	4714.
Annus Mundi conditi disputandus nobis una ex seqq. Dissertationibus.	
Troia capta	1209.
I. Agon Olympiadum.	776.
I. Vrbis annus.	754.
Aera Nabonassaris, 26. Febr.	747.
Cyri Epocha.	536.
Persici Imperii Occasus.	331.
Mors Alexandri M.	324.
Aera Seleucidarum sive in vere, sive autumno inchoata	312.
Profanatio Templi Hyerosolymitani 45. Seleuc. ab Antiocho Epiphane.	168.
I. Annus Iulianus.	45.
Aera Hispanensis.	38.
Iesus Christus natus.	4.
	Aera Christi Vulgaris
Passio Domini nostri I. C. vulgariter computata.	33.
Expugnata Vrbs Hierosolyma.	71.

Aera

Aera Diocletiani.	284.
Constantinus Regnat.	306.
Nicaena Synodus.	325.
Aera Gallica a morte S. Martini.	400.
In Bohemia Regnare coeptum est.	615.
Hegira Arabum. Iul. 16.	622.
Regnum Apostolicum.	744.
Carolus M. Occidentis Imperator.	800.
Imperium Germanicum sub Lothario, post pugnam ad Fontenedum.	844.
Carolus Dux Lotharingiae.	981.
Rodulphus Habsburgensis.	1273.
Constantinopolis capta.	1453.
Domus Medicea in Etruria Regnare coepit.	1530.
Mortuus Gasto Dux Etruriae.	1737.
Franciscus M. Dux Etruriae ex nobilissima stirpe Lotharingica.	173
Carolus VI. Rom. Imp. mortuus.	1740.
Maria Theresia Rex Hungariae & Bohemiae.	1740.
Annus, Aurea Bulla, Capitulationibus, Vicariatibus, & Pace Max. Imp. Rom. Germ. per arma Borussiae fractis memorabilis.	1741.

Ignosce Lector, dum mens mihi est super varias quondam epochas ut incertas disputare, quod tam paucas memoriae tuae mandare queam. Fors, nam has ipsas tantum obiter ad memoriam exercendam adieci, super quasdam istarum differere semel, vel eas corrigere cogar.

AD-

ADDENDA CORRIGENDA ET EMENDANDA.

DISSERTATIO IV.

Pag. 49. *intelligimus* l. intelligamus. Pag. 51. *applicatione* l. explicatione. Pag. 52. *luisset* l. fuisset. Pag. 58. *intuitur* l. intuetur. Pag. 61. *instituerat* l. instruerat. Ibid. *quam* omitte. Ibid. *fit* l. fiunt. Pag. 62. *aut* l. nec. Pag. 66. *sensu* l. recessu. Pag. 67. AV. l. Av.

DISSERTATIO V.

Pag. 69. *Deucalioniani* l. Deucaledoniani. Pag. 70. *meliore* l. meliori. Pag. 71. IVXM. l. XIVM. Pag. 72. *eorum* l. earum. Pag. 73. *tem*. ad I. Ibid. *Resveri* l. Resveri. Pag. 74. IVXM. l. XIVM. Ibid. *augumentabantur* l. augmentabantur. Pag. 75. *Nathan* l. Nathan. Pag. 81. *Gruenlandiam* l. Groenlandiam. Pag. 83. *sensit* l. senserit. Pag. 85. *aère* l. aëra. Ibid. *imprudentiae* l. imprudentis. Pag. 86. *Fortell* l. Farvell.

DISSERTATIO VI.

Pag. 88. *pars continentis* ad. sit. Pag. 89. *hac* l. haec. Pag. 92. *eadem* l. eiusdem. Pag. 94. *exsistat* iunge. Pag. 95. *quamdam* l. quam tamen. Pag. 99. *piscationem* l. piscationis rela-

relationem. Ibid. *Isthomo* l. sinu. Pag. 100. *cogeretur* l. cogeremus. Pag. 102. *Isthmum* bis l. sinum. Pag. 105. *Wood.* ad. proram.

In III. Dissert. in Chronologia Commodiana dixi ex Fastis nummariis: *Crispinae nubit*. Quia rarior est nubendi phrasis viro applicata, sic recte eruditissime, ignote mihi tamen Zoile, Vltramontani Cinerium erroris arguis. Nec Vltramontanis hoc mos est dicere, sed Italis semper fuit. *Nubere veteres non solum mulieres, sed etiam viros dicebant, ut nunc Itali dicunt. Pomponius Pannuceatis. Sed meus frater maior, postquam vidit me inde eiectum domo, nupsit posterius dotatae vetulae, varicosae, Aphrae. Sic Nonius. Quid quaeris, nubit amicus? Iuv. Sat.* 2. 14. *Crispinae nubit. Mediob. in cit. Cos.* Cave carissime Romanae facundiae, & integritatis Zelator, ne in tantum Italos legendo errorem impingas, quem ferreus fors in aurea aetate Iuvenalis evitare nescivit. Cave potius, ne inepta crisi verberando Italis detrahas. Vel plura lege, vel te ignorare fatearis, antequam corrigas. Interim Tacens, sed livide Zoile ad Psalmum. 109. pede firmo te expecto, & per Iovis, quas puer comedit, nuces coniuro, ut quae tibi ad eum de me displicent, calamo confidas, loquendo enim, & detrahendo a me nec risum movebis, nec errores corriges.

DISSERTATIO VIII.

Introductio ad Titulos Psalmorum.





Rdua cantantur, torqueris & annule, monstra. Non certe ita trigoni Iudaici annulus, aut sistri baccillus Memphici musicis torquebatur manibus, quam in Psalmorum frontispicia interpretum hucusque ingenia. Quot hic capita, tot sententiae, & ut ordinario fieri solet, quot spontanee adiuncta, tot illusiones, aut quot timide non expressa, tot a veritate aliena, tot eruditione destituta. Non ego tantum onus, quasi minimum lapillum reputem, unove me pedis ictu viam commentariorum non parum impedientem alias molem itinerantium tramite me eiecturum sperem, sed nec humeros meos tam digno ponderi subducere audeam.

Non folium, sed volumen ardua petit provincia, quam aggredimur, de qua si omnia dicere tentamus, non sufficimus, si parvo contenti, inutiles erimus, dum nil aliunde Patribus, aut criticis, praesertim *Bellarmino*, *Muisio*, *Alexandro Natali*, *Ferrando*, *Cla-*

 rio,

rio, *Drusio*, & Magno *Calmetio* deesse videbimus. Omnia nescio, alia necessaria non sunt, eadem recoquam, quae fors illi, sed aliena ab iisdem crisis diversum a te sibi, Lector, iudicium expetet.

De Psalterii Authore constat non nisi unicum esse. *Cum eius rei Spiritum Sanctum authorem tenemus, quia scriptorem quaerimus, quid aliud agimus, nisi legentis litteras de calamo percunctamur. S. Greg. in Iob. cap. in 2.* Cum tamen multa historiae antiquae monumenta nobis sufficienter, vel, ut melius dicam, unice authentica in Psalmis exhibeantur, non de calamo interrogare inutile, ut vel Chronologiae partes securius aliquando stabiliantur, vel textus obscuritas ex temporis circumstantiis, & in illud incurrentibus reflexionibus, aliqua, qua fors alias non valeret, brevitate levetur, aut etiam ut, in cuius nomine quaedam verba dicantur, nobis constet, ne gaudere dicamus eum, qui plorabat, aut Epithalamium fors quoddam flendo canamus; porro ut Iudaicae perfidiae molimina prophetico spiritu a litterali rite distincto expugnare valeamus. Quam saepe enim contigit pias nostras coniecturas, quae allegoriam cum littera confudere, dum historia non satis inquisita, omnia eodem sensu, idest: nimia dicunt, a carnalibus non solum mentibus irrideri, sed & postea ob a nobis sponte contemptam litteram omnem sacram e contrario hostibus nobis invitis derelinqui allegoriam, loco quod, si rationabiliter litterali quaedam sen-

sensui impartialiter, & naturalius concessissent, consequendarum conversionum, facilioris adeo convictionis solatia sperare valuissent.

Postquam ergo in authore S. Spiritu nullum fides nostra dubium reliquit, certa alia, quae ad Psalmos intelligendos non parum contribuunt, nobis consideranda esse assero, ad quae certe titulorum manuductio utilissima mihi esse videtur. I. *Calamum*, seu organum, cuius Divinus se serviit auctor, II. *In cuius nomine*, an in suo, an in alieno eius verba dicantur. Contigit enim vatem quemdam pro alio canere, aut rogatum, aut pro absente, vel incapaci, re etiam saepius Metaphysica, comunitate aliqua, cuius rei exempla adducere nil aliud esset, quam omnibus poetis expertissima quaeque reverberata, ut dicimus, aqua refundere. III. An *in aëra*, ut aiunt, idest nullum alloquendo canantur, vel auditorem laudando, invehendo, aut instruendo exposcant. Quis iste demum sit, an animatus, aut expers animae, an visui subiaceat, aut invisibilis &c. IV. Postremo, quis Psalmorum corporis compilator, vel cui adtribuatur? Quid demptum? Quid adiunctum? Quid Canonicum, consequenter derelinquere temerarium? Quid vero, & liberum, & non authenticum, sicque crisi nostrae subiaceat.

Infauste de Psalmorum calamo Patrum authoritate decertatur, quia non minor ferme eorum numerus integrum Psalmorum cantum Davidi Authori tribuunt, quam qui differentibus eos compositoribus editos innuat.

S. Chrysostomus in Ps. 1.; S. Augustinus de Civit. Dei lib. 17. cap. 14.; Theodoretus praef. in Psal.; Cassiodorus Prol. in Psal.; Euthimius Praef. in Psalm; Philastrius haeres. 79.; Pseudo Hieronymus in Praef. in Psal.; Cosmas Monachus Aegyptius tom. 2. graec. Patr. p. 70.; Bellarminus, & multi alii. Aliquorum plane ita fervor exacerbatur, ut qui eorum sententiam religiosa credulitate inexpense statim non admittant, haeretici ut *Philastrio* non consideratius fors audierint, & prout a *Cassiodoro* ac generali, & immobili Ecclesiae Catholicae inspirationi repugnantes audaciae, & temeritatis arguantur. Sanctus vir *Philastrius*, qui multa modo in caelis revelata feliciter videt, quorum nec coniectura quidem menti eius in terris inciderat, nunc ipse persuasus erit, se, quod fervor illi dictarat, in *Manichaeos*, *Gnosticos*, & *Nicolaitas*, qui non tam de Davide, quam de eius Sancta Spiritus inspiratione dubitarunt, sicque Sanctum Regem humanae rei tantum scriptorem exstitisse affirmarunt, merito *haer.* 78. maiorique iure, quam in multos alios Patres, innumerosque scripturae expositores debacchari, de quorum etiam primis Philastrium tantum locutum fuisse crediderim. Ibi etiam *Cassiodorus* se non recte generalem Ecclesiae opinionem nominasse videbit, cui non minor Doctorum caterva se opponit, quam adstitit. In contrarium est: *S. Hilarius prol. in Psalm.; Pseudo Athanasius in Synopsi tom. 2. oper. S. Athan.; S. Hieronymus Epist. ad Saphron., & Epist. ad Cyprian.; Pseudo Augustinus*

nus in adiunct. annot. ut tit. Ps. 15. *Ven. Beda in Trag. & Praef. Ps.* 1.; Item *Praef. Ps. Athan. attributa tom.* 2. *collect. Graec. Patr. p.* 70.; *Eusebius Caes. praef. in Psal. p.* 7. 8. & *praef. in tit. Ps. p.* 2.; *Item in Ps.* 60. 61. 62. *S. Isidorus Pelus. lib.* 4. *Epist.* 182. *Clarius*, *Calmetius*, modernique fere omnes tum Christiani, tum Rabbini. Ipse primorum fautor iudiciosissimus *Theodoretus* haeret, & palpitat *in tit. Ps.* 72.

Veniamus ad SS. paginas; Psalterium certe innumeris in locis ipsius N. T. Davidis nomine insignitur, *qui Psaltes Israel egregius dicitur.* 2. *Reg.* 22. 1. Davidis Psalmi in dedicatione templi Salomonici canebantur. 2. *Paral.* 7. 6. *Paral.* 2. 3. 5. Taliaque innumera. Sed *primo* non minoribus etiam in locis Psalterium sine omni cuiusquam authoris nomine, tam in scriptura, quam PP. nuncupatur. *Secundo*, quilibet scit, quod collectio omnis integre sub eius nomine, qui plurima eius membra conscripsit, vel in unum ea coegit, vendi soleat, ut Epistolarum Ciceronis, variorumque tum PP. tum profanorum authorum compilationibus nulla nobis desunt exempla. *Tertio* si Salomonis Templum Davidicis inauguratum est Psalmis, Ezechias cultum restituens Levitis Dominum *Sermonibus*, *David*, & *Asaph videntis* laudandum esse ordinavit. 2. *Paral.* 29. 30. Quem *Asaph* non solum cantorum Principem, sed & *Videntem* idest Prophetam audimus. His autem canere, & psallere non inauditum fuisse, plerisque,

 & ex

& ex *Saule* ipso, in quem Spiritus Domini inter Prophetas insiliit, exemplis videmus. Omnis autem cantilena, quae ordinario Psalterii, harpae, vel Cytharae alicuius etiam sonitu concomitari solebat, Psalmus a Psalterio principaliori eius musices instrumento dici solebat. *Quarto* si de se dicit *David filius Isai egregius psaltes Israel: Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam* 2. Reg. 22. 1. inferemus quidem Davidem ex omnibus Prophetis *principaliter ad hoc munus selectum fuisse, ut quod in aliis rarum praeeminere aliquo opere videtur, in hoc iuge, & continuum refulgeret. S. Ambr. praef. in Ps.* 1. non tamen tam rarum erat, ut forsan fabulatum est, Salomon enim 5000. Psalmus composuit 3. Reg. 15. 32. Tituli Psalmorum ipsi non eos uni calamo attribuunt, sed differentia illis nomina filiorum *Core*, *Asaph*, *Eman*, *Idithun*, aliorumque praeponunt. Nec fors spiritum Dei ad psallendum necessarium illis defuisse dices, simplicesque eos cantores nominabis, dum & ipsos *Paral.* 25. 12. 5. *Videntes*, & Prophetas appellari videmus. An non *Ethan Ezraita* aliqua Psalmorum composuit? Cui tantam attribuit scriptura sapientiam, ut *Salomonem* ipsum non magis, quam si *Ethan Ezraitae* sapientiorem diceret, laudare potuerit. 3. Reg. 4. 31. & 1. *Paral.* 6. Nec male etiam *Aggaeum*, *Zachariam*, *Ezechielem*, *Ieremiam*, aliosque Prophetas aliqua cecinisse, vel videmus, vel arguimus. Non video quid repugnet, ne dicamus non omnes, plerosque

rosque tamen a S. Rege Psalmos emanasse, aut quid piaculi sit essari, inter tot Salomonicos aliorumque videntium concentus aliquos non indignos fuisse, ut Psalterio in Ecclesia praecinendo a primo fors collectore *Davide*, a Secundo, & Tertio *Esdra*, & *Nehemia* 2. *Maccab.* 11. 13. inserantur. Nil nobis certe repugnat, prioris autem sententiae asseclis difficillimum erit respondere, si non omnes Psalmos propheticos, sed aliquos eorum historicas esse cantiones, illis ob oculos ponam, praesertim, ubi tam particularia de Captivitate Babylonica non eventura praedici, sed sustenta narrari videbunt, nisi prodigia sine causa duplicare, visiones nulli, nisi sibi ipsis, necessarias effingere, & execranda sane criticae sacrae monstra parere vellent. Fugit me tamen S. *Hieronymi* statuta regula, quae ait, Psalmos, quibus nullus est titulus, praecedenti proximo attribui debere. Cui enim duos primos, qui titulis carent, adscribes? *Secundo* LXXXIX. Moysi subscriptus est, & decem sequentes absque frontispiciis sunt, igitur a *Moyse* Auctore dicentur, quod tamen nequit, quia in Ps. XCVIII. Loquitur de *Samuele*, qui quantum temporis post *Moysis* obitum natus sit, nemo nescit. Respondet quidem *Hieronymus* *Moysen* prophetico spiritu in visione *Samuelis*, & nomen, & historiam praenosse, exemplum citans *Iosiae*, cuius nomen Prophetae Israelitici Regis idololatriam arguenti revelatum fuit 3. *Rege* 13. Quod *Bellarmino* minus satisfecit. Hic pro-

phetia Regi eventuram poenam praenunciat, ibi Psalmus *Moysis*, *Aaronis*, & *Samuelis* personas in historia coniungit, ergo & hunc praeteritum iam rectissime narrat. Bene sic arguit *Bellarminus Hieronymum*, sed nec ego peius *Bellarminum*, & proprio verbere pulso, qui omnes Psalmos ad *Davidem* invitis cogere vult inscriptionibus, & illa propria, quam contra *Hieronymum* allegavit ratione. Non iustum ergo etiam ex *Bellarmini* solutione erit, si historicos, clarosque de Babylonica captivitate sensus iniquo prodigio in propheticam visionem intrudamus, dicentes Davidem per eam non tantum poenae, sed & liberationis minutias praevidisse, ac cecinisse. Quis enim unquam dicere poterit in illis Psalmis *Davidem* non narrare, dum inapplicabiles nisi in praeterito circumstantias, & signo, & tempore volvit. *Hieronymi* ergo regula quidem non acceptanda, sed *Bellarmini* sententia prorsus reiicienda erit. Accedit nos Prophetarum morem expendere debere. Nunquam vidi prophetas poenam, & liberationem narrare, dum scelus, ob quod infligi debuit, non iam perpetrari incoepit. Percurre omnes, ut placet, videntes, nec mihi facile aliud, nisi ostenderis, persuadebis.

Nec ego tamen, licet varios eorum authores statuam, quemcunque frontispicii nomine coecus insignire cogito, saepius enim progenies aliqua Patris primaevi nomine gloriatur. In plura talia, ni cautus sis, impinges. Haec ad intelligentiam titulorum praeno-

notasse oportuit, alias nec me intelligere, nec sanam frontispiciorum crisim praeoccupatus, aut timidus ferre valuisses. Nunc de Titulis.

Titulorum veneratio Patribus semper maxima fuit, ita ut illos *claves*, *praecones*, *domus frontispicia*, *Psalmo ipso minime divellendos* dicerent, sic *Hieronymias. in prol. Psalt. S. Aug. in Ps. 139. S. Hilar. in prol. Ps.* 99. & alii innumeri. Si tamen cautam, qua illi eos recepere, methodum videamus, exemplum ab iis sumere licebit; quo fulti sine temeritatis nota non omnes Spiritu Sancto dictatos, non omnes ergo immutabiles, nec de iis corrigendis differere illicitum iudicemus. Quod tamen modernos aliquos eo persuadere voluit, ut in iis, plusquam iustum est, sibi auderent. Multi enim vel illos plane nullo illos habito alio monumento, quam intelligentiae difficultate moti omnes indiscriminatim respuunt, vel claros etiam, Psalmisque cohaerentes sensus, in quos tamen saepius Hebraica, LXX., & vulgata convenere, derelinquere, aliosque commentariis suis promere sibi praemittunt. Damnare nequeo neminem, nec quemquam nomine pando. Maxime dum S. Ecclesia sola sacrae magistra veritatis tam differentes sententias cuique circa titulos defendere permisit, aut dissimulavit. Dum illa ipsa in Divino officio recitatis tot caeteris frontispiciis, eos, qui Psalmis praesunt, illis canendo non addidit. Non ergo tam certum, tam inconcussum fuit unquam

in

in ea titulorum authoritatis dogma, ut piaculi nota eorum sententiae refragantibus inuri possit, alias plerisque certe, si non omnibus, inureretur. Ne autem hac in re vel nos, vel alios indiscretus infectet abusus, Patrum venerandas, ut hucusque soluimus, semitas sequemur. Observarunt ii, & nos, aliquos nullo modo Psalmi sensui attribui posse; videmus multos in Hebraico non legi, quos LXX. & vulgatae adiunctos cernimus. Non male ergo tam acceptam Patribus authoritatem, cum S. *Hilarii*, S. *Augustini*, aliorumque & PP. & DD. crisi methodica fors aliqua divisione conciliare poterimus. *Primo:* sunt tituli, qui & in hebraeo exstant, sensuique nullo modo refragantur, & sive *Esdrae*, sive alii cuipiam, ante, vel post eum, LXX. praecedenti commentatori adscribantur, multa certe nobis clariora reddunt, si non indubitata. Quomodo Psalmos *Davidis*, ab iis, qui Filiis *Core*, aliisve attribuuntur, discerneremus, si frontispiciorum nobis non adstaret adiumentum? Quomodo indubitate tertium Psalmum fugam *Absalon* innuere argueremus, ni titulus nos ea de re certiores redderet? *Secundo:* sunt etiam alii, qui in LXX. reperiuntur, & Psalmorum se sensui accomodant, hi certe eandem cum primis ob Sancti Spiritus LXX. non deficientem assistentiam sibi vindicabunt veritatem; & si etiam a LXX. ad maiorem claritatem adiunctos dicamus, non minori certe pollebunt auctoritate. *Tertii* sunt, qui mysticum sensum exprimunt, in hebraeo tamen

men non inveniuntur; hi licet mihi tam perspectae non sint decisionis, a quocunque adiuncti sint, semper utilitatis nobis quidquam ostendunt, quos tamen a multis non paucos fortuito a legente quopiam, qui aliquem in Psalmo sensum se videre crediderat, adiunctos non inaniter argui, ideo etiam aliquando pro meliori aliqua interpretatione derelinqui videmus. *Quarti* sunt praeterea, quos, sive in Hebraeo videantur, sive desiderentur, si tamen *nullatenus* ullo quidem sensu Psalmo applicari posse probemus, merito intrusos, quocumqne modo iudicamus. Ita S. *Hilarius* Psalmi LXIV. frontispicium, cum nec in Hebraeo, nec *Aquila*, *Symacho*, *Theodotione*, *LXX. edit. Hexaplarum* inveniretur, reiecit. Ita ab imperito quodam adiectos dixit rubricas Psalmis CXXXVI. CXXXVIII. CXLIII. CXLV. Sic S. *Augustinus*, licet in id conveniens sit titulus Hebraeus, LXX. & vulgatae, in Psalmum LXXXIX. tamen illum Moysi attribuere detrectat, nec in Psalmo XCV. aliter iudicat. Non tamen veloces nimium nos esse vellem in titulis ob minimam dissonantiam reiiciendis *S. Aug. praef. in Ps. cap.* 10. *Solet propheticus spiritus in Psalmi titulis recedere aliquantum ab expressione rerum gestarum, & aliquid dicere, quod in historia non invenitur, & hinc potius admonere, non propter cognoscendas res gestas esse huiusmodi titulos inscriptos, sed propter futura praefiguranda*. Non ergo statim expunctores, *sed intellectores quaerit. Vt Id. in Ps.* 95. & post illum *Cassiodorus*

rus, sic *Theodoretus*, & alii. Eos ergo tantum reiiciendos puto, qui nullo modo, nec historicae narrationis litteram, nec futuri eventus mysterium cum Psalmo cohaerens non a nobis tantum, quibus fors non satis acuta essent supercilia, sed & ab omnibus, aut plerisque aliis maioribus interpretibus assumere denegavere. Quam si methodum in titulis expandendis servemus, non maior nobis, quam *Natalem Alexandrum*, *Ferrandum*, *Clarium*, & *Genebrardum* punget libertas, nec severior de titulorum veneratione, quam SS. Patres ipsos, arctabit angustia.

Psalmos sequenti discursu enumeraturus, saepius nulla, vel pauca referam maxime circa Psalmi occasionem, quia vel eadem repetere tibi fastidiosum, vel ex meo multa insecura depromere mihi indecorum arbitror. Inscitiam meam fateor. Omnibus quibus rubricae involvent, tricis me excutere posse non iudico. Impossibile est, primus essem, nec ego tantus, qui Hectora vicit, Achilles. Tam spissis tamen, tamque frequentibus Cimmeriis tenebris rem frontispiciorum involutam esse, negaverim, nisi ea, quae circa musicorum prisci Iudaismi instrumentorum singularitates ignota, & deperdita esse non ignoramus, desideraveris. Quae si etiam nossemus, tantam nobis exinde utilitatem obvenire, non admiserim, nec in iis deperditis multum nos amisisse, putaverim. Interim Vale.

DIS-

DISSERTATIO IX.

Tituli Psalmorum expensi.

****



Ostquam, quae nobis pro introductione hac in materia servire debuerant, praecedenti discursu expenderamus, non pigebit titulos ipsos, Psalmosque illis subiectos, quidve littera, vel occasio eius innuat, brevissimo, qua valebimus methodo perlustrare.

Ps. I. Vbique absque titulo est, potest ergo *Davidi*, aut sine multa repugnantia *Esdrae* attribui. Apparet tamen potius *Ieremiam* 17. 7. 8. Illum imitasse, aut citasse, quam ei, ut aliqui volunt locum dedisse. Igitur eum *Davidi* adiudico, tanto magis, quo unus cum sequenti esse Sancto *Hieronymo* perhibeatur.

Ps. II. Nullum quoque titulum recipit. Oculares codicum priscorum testes *Origenes* & *Theodoretus*; ipseque sua adhuc aetate *Kimchi* se eum cum primo eundem vidisse, confirmant. Tu Domine, *qui Spiritu Sancto per os Patris nostri David pueri dixisti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt*

sunt inania &c. Testimonium perhibes, quo organo Spiritus Sanctus usus fuerit ad Psalmum hunc decantandum. Alii igitur attribuere audax est, & profanum *act.* 4. 25. Si ergo primus idem cum secundo fuerat, nil, & illum *Davidi*, non *Esdrae* deberi, aliasque opiniones reiicere impediet.

Ps. III. *Psalmus*, seu canticum לדוד *Davidi cum fugebant a facie filii sui. Le David* semper est Dativus, male in genitivo vertitur. Et dicit aliquando vel Davidi inspiratus, ut ab ipso caneretur, non tamen semper id eo referre necessarium est, ut cui id praepositum videmus, ab ipso Davidici oris organo depromeretur. Videmus enim etiam illum Psalmos cecinisse sub manu *Asaph* in *Paral.*, ita ut aut materia ab illo accepta hic componeret, aut illo dictante scriptitaret. Etiam aliquando Psalmus sub eius nomine ferri solet, cuius vices eius loquela gerit. Hic Psalmus *c.* 9. omnibus rationibus Davidis nomine insignitus est, quia sub eius persona, & eius de propria historia disserit, titulus ubique conveniens tempus, rationem, & omnia designat, nec ulla ei obstat, Epochae mutandae ratio. Tamen iam post liberatum se a periculo compositus est, quod ex gratiarum actione, quam continet, patere mihi visum est. *Ar.* Alleluia.

Ps. IV. למנצח *Lamnazeah*, quod in littera semper *Vincenti*, aut *Victori* ab adiuncto vocabulo aliquo *cantionum*, vel simili, semel pro semper Praefecto, vel praesidi no-

mi-

minati in titulo chori musici vertimus. Radix eius נגן est, & praeesse operibus dicit. Nec me torquet vulgata ex LXX. desumpta versio εις το τέλος *In finem*, sed me explicat, non, ut putat Doct. *Calmetus*, evertit. Si non negari potest varios musicorum, & instrumentorum choros praefectis suis subditos fuisse, & variis scripturae locis, si tituli, ut videmus variis choris Psalmos subdunt recitandos, LXX., qui eorum sensum intellexere, non male litteram hic reliquerunt mentemque traduxerunt, *In finem in carminibus* i. e. In finem, ut canatur, seu choro canentium eiusque praefecto subdatur. Nec de verbo *carminibus* dubium meo sensui remanet. בנגינות enim non puellas, ut vult *Calmetus*, sed Psalmos, aut cantilenas dicit. Vid. *Nunc in eorum Neghinoth*, canticum, *versus sum*. *Iob.* 30. 9. *Et fui Neghinoth*, cantilena, *potatoribus Sichar*, vini, *Ps.* 68. 13. Quia in sensu mentem Tertii hic Psalmus quasi prosequi videtur, non tam male fors eadem illi epocha statuetur.

Ps. V. *Vulg. In finem pro ea, quae haereditatem consequitur, Psalmus David*. Quod dicit pro Ecclesia, quae Christi haereditatem consequitur. Hic titulus ab aliquo, qui eius applicationem intellexit, posterius adiunctus est, nil enim cum Hebraeo, aut Chaldaeo commune habet. Nec LXX. illam appposuisse credam, quos tantum nostrae Ecclesiae mysterium satius latuisse cogitarem. *Hebr.* dicit *Lamnazeah* Praefecto *super Hanne-*

chi-

chiloth אל-הנחילות *tibiis canentes*, *Canticum David*. Inutiliter se torquet *Calmetus*, ut Chaldaicum sequens *saltantium puellas* vertat, nam seu ex radice חל *foramen*, seu ex חלל *tibia cecinit* vocem dictam derivare velit, semper ex prima foratum instrumentum, ut tibiam, ex secunda tibiâ canentes fateri cogetur. Nec aliam radicem inveniet, si ad ipsos Rabbinos auxilium imploraturus recurrat, sed contra proprias radices loquitur. Rationem ille non dicit; nec ego aliud video, quam incompatibilem כמחולות cum *nehiloth* confusionem; nec aliam pro ipso *saltantium*, *Machaloth* radicem usque adhuc reperieram. Nullius epochae constat, spontanee ficta displicent. Pulchra est oratio matutina in finem, ut tibiis canatur, atque Ecclesiae Christi sponsae, & heredi iustissime applicata. *Ar.* Alleluia.

Ps. VI. *In finem in hymnis pro octava Psalmus David*. Nec male vulgata cum Hebraeo convenit. *Lamnazeah* Praefecto *super Neghinoth* Canticum השמינית *super octavam Canticum Davidi*. *Haschimiuth* super octavam assignare, nullum mihi dubium relinquitur. Nam *Mathathias*, & *Eliphalu* praeerant octavae classi musicorum, quam Hebraice *Scheminith* vocari videmus. 1. *Paral.* 15. cui hic Psalmus canendus traditur. Communiter interpretes de Davide gravi morbo deiecto vertere solent.

Ps. VII. *Psalmus David, quem cantavit Domino pro verbis Chusi filii Iemini* hic Hebraice

te שגיון *Sighaion* a radice שגה, quae & *errorem*, & *delectationem* innuit. Nec male Rabbini exponunt in eo Davidis a Saüle ex stirpe *Beniamin* (quod idem est ac *Beniemini*, seu *filius Iemini* :) iam protervo, ideo *Chus* appellato fugam. *Chus* enim Hebraeis *niger*, & *Aethiops* dicebatur. Vt enim heroem, vel potentem gigantis statura nobis saepius reliquit, sic in pravorum facinorum contemptum nigros corde, & nigros facie appellare solebat Hebraea antiquitas, unde etiam facillime mos inoluit, ut Daemones atro colore prout pessimi tingerentur. Est ergo Canticum in fuga hinc inde errantis *David*, etiam, si vis ob spem non desertam consolatae delectationis, *Ar.* Alleluia.

Ps. VIII. *In finem pro torcularibus Psalmus David*. Sic vulgata Hebraeum *Lamnazeah* Praefecto הגתית *super Hagithith* torcularia, *Canticum Davidi*, explicat. Iam גתת *torcular* radix est, cum qua *vulgata* LXX., & litteralis Hebraica conveniunt. Audax mihi videtur cum Magno *Calmeto* ab iis tanta incongruentia deflectere; quod quare deberem, ignoro. Verum est, si pro *torculari* sumatur, non *Githith*, sed *Githoth* legi debuisse, sed errorem י pro ו quem in I. Differtat. communem dixi, irrepsisse fateri, quam nil securius statuendo convenientes tot cum radice in unum versiones castigare mallem. Manet quaestio : Quid sint haec *torcularia* ? Iam ex consueto more praeposita voce *Lamnazeah* Praefecto, recte chorum

 ali-

aliquem muſici inſtrumenti eſſe arguere poſſumus, quia autem veterum Hebraeorum muſica nobis prorſus ignota, eſt, ac deperdita, arduum, & potius audax eſt, quid certi ſtabilire. *Torcular* tamen *vindemiarum* video, uſque dum illis in SS. Paginis, ut muſicis inſtrumentis invenimus, Principem praeponi viderim. Nec de *Gethaeis cantatricibus* niſi apud quosdam Rabbinos, & *Calmetium* verbum inveni. An, & quando leviticae tribui ſe adſcripſerunt *Gethaei*? Vel quae eorum Claſſis? Fors filiae ſatellitum *Gethaeorum*? Parum attinet, quale fuerit muſicum inſtrumentum fabulari. Nulli enim haec vox convenit, ſi ſciamus torqueri de omni ſono ex figura quacunque vi aliqua expreſſo dici. *Torquetque ſonantia ſaxa. Virg. Georg. Aen.* 6. ſic forma torquetur. *Cornus, Ityreos taxi torquentur in arcus. Virg. Georg.* 2. magis autem appropinquamus, ſi vel *Trigonum*, ubi annuli torquentur, aut *Siſtrum Aegyptiacum*, in quo baccilli rotantur inter muſicalia eligamus. Sic *Auſon. ep.* 25. *Iſiacos agitant Mareotica Siſtra tumultus*.

Pſ. IX. *In finem pro occultis filii Pſalmus David*. Hebraeus: Praefecto *Halmuth Ben* puellarum Ben dicit על־מות־לבן Optime hunc nodum ſic ſolvit Doctiſſimus *Calmetus*, nam *Paral. v.* 18. & 20. *Ben*, ſeu *Benaias* choro puellarum praeponitur. In erroneas interpetrationes inducti ſunt plerique nomen proprium *Ben* pro apellativo, quod *filius* dicit, ſumentes. In multis verſionibus hic in duos dividitur, ſenſus, etiam ſecun-

cundae partis a prima differentissimus, unus enim Eucharisticus, alter tristitia repletus est. Quod tamen statuere nequeo, quia vulgatam, & correctissimas quasque LXX. editiones hac divisione carere vidi, quanto magis, quod & divisio in hebraeo titulo careat?

Ps. X. *In finem Psalmus David*. Aut *Praefecto musices &c.* a Patribus ad exordium irarum *Saülis*, ubi David in Domino confidens fugae consilium spernit, relatus est.

Ps. XI. *In finem pro octava Psalmus David*. Ex superius dictis clarus est, corruptionem morum generalem describit.

Ps. XII. *In finem Psalmus David*. Clarus est. Suspiria merentis animae continet.

Ps. XIII. *Idem titulus*. Corruptio morum omnibus temporibus applicabilis.

Ps. XIV. *Psalmus Davidi*. Sic Hebr. Chald. LXX. & vulgata adiungunt *in finem*. Descriptis superius protervis Israelitarum moribus Psalmista ad templi aedificationem eos non perventuros, & quomodo Deus illud sanctificari petat, confirmat, quod in ipso *Davide*, qui templum construere non auferat Domino, adimpletum est.

Ps. XV. *Tituli inscriptio, ipsi David* Hebraeus *Michtam* dicit, Sive מכתם *promicuit*, sive *obsignavit* radicem statuas. Non me fugit, tituli enim, & promicare textui, cuique sit, ne permutetur, obsignare est; Hyperbolice *Davidis* restitutioni in Regnum, ad quod electus est, porro *corruptionem non videbit* idest non morietur, intellige: ante-

quam *praeclarae haereditati suae*, ideſt Regno Iudae ſibi promiſſo reſtituatur. Typice autem de Chriſti reſurrectione intelligendus clariſſime eſt, ita, ut plus huic, quam Davidi ipſi convenire illum videamus; ut ex *act.* 11. 25. *& ſeqq. act.* 23. *&* 35. *& ſeqq.* patet.

Pſ. XVI. *Oratio David*. Forte cum Saülis irae acrius deſaevirent.

Pſ. XVII. *In finem, puero Domini David, qui locutus eſt verba Cantici huius, in die, qua eripuit eum Dominus de manu inimicorum eius, & de manu Saül, & dixit:* quod confirmatur 2. *Reg.* 22. 1. Huius ergo epocha, dum victis undique hoſtibus pace quieta fruitur, ſtatuenda eſt, quam an non temerarium ſit evertere, ut *Ferrandus*, neſcio.

Pſ. XVIII. & *Pſ.* XIX. & XX. *In finem Pſalmus David*. *Primus* pulcherrima eſt moralis elucubratio; *ſecundus*: non inaniter de Davidis expeditione in *Ammonitas*, eorumque confoederatos ob immanem equitum copiam exponitur 2. *Reg.* X. 6. 16. 17. 18. *Tertius*. Hyperbolice tantum Davidis gratiarum actis obtenta ab *Ammonitis* victoria eſt, alias uni *Chriſto* attribui poteſt...

Pſ. XXI. *In finem pro ſuſceptione matutina Pſalmus Davidi*. Hebr. *Lannazaeah Praefecto ſuper cervam aurorae Canticum David*. Si chori muſici claſſes varia Symbolica nomina obtinuerint, felix eſt coniectura *Calmeti* doctiſſimi, vellemque eam tanta, qua eius pulchritudo deſiderat, auctoritate a me poſſe ful-

fulciri . Sed potius ignorantiam meam ingenue fateri, quam commenta, etsi formosissima, cudere malo. Interim ut cerva auroram videre desiderans fervet, angitur, & premitur, sic anima se, derelictam sentiens, quae se liberari & luce quadam consolari cupit. Quot non tales in Cantico Canticorum nobis Typi exstant? Fors paragogica hic significatio in Hebraeo per Symbolum addita, & in LXX., qui sensum penetrarunt, clarius explicata est; Nec multo indigebimus commento, ut hanc educamus coniecturam, qui cum Psalmi verbis facillime illam quisque cohaerere cernimus. Ex propriarum enim calamitatum argumento vaticinatio prodiit de Christi derelictione clara, & perquam magnifica.

Ps. XXII. XXIII. *Psalmus David*. Secundo addit LXX. & vulgata *prima*, aut ut alii legunt, *una Sabathi*. Non male ad arcam vel translatam in montem Sion, vel Templi prophetiam vertitur. Potius autem ad *primam Sabath seu quietem* in loco sibi a Davide exstructo, quam alio explicare mallem.

Ps. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. *Psalmus David*; *Primo* addit vulgata. *In finem*. Hebr. Tantum *Davidi*. In *Penultimo* addit vulg. *Antequam ungeretur*. Quam additionem si suscipimus, *Davidis*, antequam post mortem Saülis tertio linitus esset, precationem, ut Deus Israël a tot malis, & bellis liberet, fuisse facile credam: non tamen assero.

Ps. XXVIII. *Canticum Davidi*. Addit vulg. *In consummatione tabernaculi*. Si haec additio

am-

amplectenda sit, dicam fors *Davidem*, ut alia Templi necessaria congregaverat, etiam Cantica eius praeparasse consumationi, vel si Templum non vis Tabernaculum dici posse, de superius dicto *Sionis* Tabernaculo, ubi Rex arcam e *Cariathiarim* transportatam collocaverat, dicendus erit.

Ps. XXIX. *In dedicatione Domus David*. Syntaxis Hebraea autem quasi melius. *Psalmus David in dedicatione domus* verteret. Domus etiam omne Templum dicebatur; Incomparabilis *Calmeti* coniectura de *Areae Ornan* dedicatione optima est.

Ps. XXX. *Praefecto Davidi Canticum*. Sic Hebr. addit vulg. *pro extasi*, ex LXX. excepto: nec in Chald. vel Hebr. reperiendus est. Quicumque illud primo adiunxerat, id nulla alia ratione, quam occasione *v.* 23. *quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine*. sibi permisit. Quam male autem, ex reliqua Psalmi cohaerentia quisque videbit. Sic nihil pro nobis facit emolumenti, David in *Saulis* aula insidiis undequaque oppetitur.

Ps. XXXI. *Ipsi David intellectus*. Sic certe antonomastice prae omnibus Canticum hoc ob gravissimam morum disciplinam appellari potest. Plerique illud actae post adulterium poenitentiae applicare solent.

Ps. XXXII. *Psalmus David*. Hebraeus titulo caret. Sic optime continuatio descriptae anteriori cantico felicitatis animae a peccatis liberatae dici poterit.

Ps. XXXIII. *David, cum immutavit faciem* coram

coram Abimelech, *& dimisit eum*, *& abiit*. Dixerim tamen cum *S. Basilio*, *& S. Hieronymo* libentius *Achimelech*, quod ob ב & כ affinitatem facillimum irrepsisse erat. Igitur *coram Achimelech* Pontifice Maximo, ad quem David in Nobe fugiens accessit, panibus confortatur, ense armatur, dimissus est ab illo in *Geth*, *& abiit*.

Ps. XXXIV. *Ipsi David*. Vel ob furias *Saulis*, aut *Absoloni* rebellionem conscriptus, pulcherrimus Domini nostri Typus.

Ps. XXXV. *In finem servo Domini Davidi*: fors dum *Saulis* vitae pepercit, maxime ex *v.* 12.. Sic plerique.

Ps. XXXVI. *Psalmus David* est acrostychus.

Ps. XXXVII. *Psalmus David in rememorationem*, *de Sabbatho*. Quod in Hebraeo non exstat, a veniam post ad adulterium petente *Davide* plerique scriptum tradunt.

Ps. XXXVIII. *In finem ipsi Idithun Canticum David*. *Idithun* vel *Ethan* 1. Paral. 6. 44. & 16. 41. principi musicorum canendus a *Davide* traditur. Est planctus, & morbo, & poenitentiae conveniens.

Ps. XXXIX. XXXX. *In finem Psalmus David*. Si in praecedentibus duobus canticis morbum Davidis se quis spectari cum poenitentia coniunctum dixerit, sic in primo horum eius liberationem ad Dei gloriam omnibus expositam, in ultimo autem praeteritam miseriam suam narrare, passionis autem mysteria clarissime indigitare negare vix valebit.

Ps.

Pſ. XXXXI. *In finem Intellectus filiis* Core. Qui ſunt dicentes a ſervatis a fratrum exitio filiis *Core*; melius autem ab illorum deſcendenti proſapia, vel compoſitum, vel cantandum. Pſalmus certe iucundiſſimus, & animum ſublevans, ut plures filiorum *Corah*.

Pſ. XXXXII. Appendicem prioris Canticis eſſe ex ſenſu, omnibuſque agnoſcimus, nec in Hebraeo Rubricam ſumit. Vulg. quidem addit *Pſalmus David*. Ex LXX. Sed adiunctum ibi eſſe. *Vid. Edit. Complut. Euſeb. Theod. Euthym* Ψαλμος τω Δαυιδ, ανεπιγραφος παρ Εβραιοις. Nec ambo male ſperatae a Coritis in Babylonica captivitate liberationi canticum conſolatorium attribuunt. Ad quem etiam ſenſum eodem titulo Coritarum

Pſ. XLIII. Pertinere non ambigimus.

Pſ. XLIV. *In finem pro iis qui commutabuntur filiis Corah ad intellectum, Canticum pro dilecto*. Hebraeus, pro ששנים i. e. *Liliis* vertit, & Canticum *amorum* ידיד ſeu *dilectarum*. Ex omnibus patet carmen amatorium, & Epithalamium eſſe, ſive *qui commutabuntur* in coniugatos, ſive *pro Liliis*, floribus, aut dono nuptiali, Canticum *amorum* ſeu *pro dilecto*, qui Salomon 2. *Reg.* 12. 25. dicitur, intelligas. Si ergo *Salomon* ipſe fors eius Autor, & poſtea ob inſigne Chriſti, & Eccleſiae vaticinium *Coritis* canendus traditur, vel ab aliquo ex *Coritis* vidente, qui hoc opus ſuum Regi dicat, eructatur, ſemper Rubricae, & ſenſui omnium ferme hac שש *exultationes* convenient.

Pſ.

Ps. XLV. *In finem filiis Core*, *pro arcanis*, alii legunt *pro occultis*. Hebr. עלמות *Ce Halamoth* iam supr. *pro puellis cantatricibus* vertendum disputavimus. Recte hic iudiciosissimus *Calmetus* de pace, qua Imperium universum post mortem *Cambysis*, celebrata secundi Templi dedicatione *Magorum* turbinibus, fruebatur, omnibus rationibus arguit.

Ps. XLVI. *In finem pro filiis Core*, *Psalmus David*. Eidem facile dedicationi attribuitur.

Ps. XLVII. *Psalmus Cantici filiis Core*, *secunda Sabathi*. Ex titulo noscimus eum maioris magnificentiae Canticum esse, quam praedicti, licet unum idemque sit dedicationis argumentum. Vt in XXIII. adiunctum vidimus *prima*, sic modo: *secunda Sabathi*, quibus caret Hebraeus. Si igitur in eo primam arcae, quae hinc inde ante eius extructionem inde fugere coacta est, de Templo primo Salomonico intelligas hoc ob secundam eius in secundo Templo requiem, post quam per captivitatem Babylonicam educta est, quietem facile adiunctum.

Ps. XLVIII. *In finem filiis Core Psalmus*. Consolatorius est vel in Babylonica Captivitate, vel quacumque Israelis persecutione a Coritis exaratus mortis praesentia quemlibet ad benefaciendam exhortans.

Ps. XLIX. *Psalmus Asaph*. Extremum iudicium pulcherrime describit.

Ps. L. *In finem Psalmus David cum venit ad eum Nathan Propheta*, *quando intravit ad Bethsabee clarus est?*

Ps.

Ps. LI. *In finem, intellectus David, cum venit Doeg Idumaeus, & nuntiavit Sauli, venit David in Domum Achimelech.*

Ps. LII. *In finem pro Maëleth intelligentiae David*. Corruptissimum est mendum, quod dicit *Amalech* Haebraeus על־ מחלת sive *Mahalath*, sive *Mehiloth*, ut superius ad Psalmum V. semper eadem radix erit, sed non iusta inflexio. Igitur, & hic *Nehiloth* legendum facile, erroremque irrepsisse non abnuerim. Sit, prout velis, nunquam aliter quam pro *tibiis canentibus*: vertam, nec scio, quid obstet. Cohaerentia Psalmi cum XIII. maxima est, quis ve unus alteri locum, & argumentum dederit, ignoramus. Ex huius tamen brevitate, eum longiori priorem esse facile crediderim, tanto magis, quo in Psalterii compilatione nullum temporis factorum, autorumve respectum habitum fuisse procerto decernamus.

Ps. LIII. *In finem intellectus David, cum venit Doëg Idumaeus, & nuntiavit Sauli: Veni David in Domo Achimelech*. Nimis clarus est sensus, ut contra alios scripturae locos. 1. Reg. XXVIII. 19. Textum Hebraeum huius rubricae, cum LXX. & aliquibus Patribus *Abimelech* legam: Vel quidquam hic addam.

Ps. LIV. *In finem in carminibus. Intellectus David*. Ex supra toties dictis Rubrica clara est. Inter calamitates Davidis, inter quas autem exaratus sit, ignoramus, nec parva est, quam observat *Calmetius*, cum XXXIV. & XL. styli concordantia.

Ps.

Ps. LV. *In finem pro populo, qui a Sanctis longe factus est, David in tituli inscriptionem, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth.* Sic autem Hebraeus: *Victori* aut principi *super columbam mutam* על-יונת אלם *Remotis, ipsi David, intelligentia in tenendo eum Philistim in Geth.* Davidem *Saulis* furias evitaturum ad *Achis* Regem *Philastaeorum* decessisse, ibidem ob simulatam insaniam eiectum, se in speluncam absconditum, & variis necessariis, & amicis ad quadringentos viros sibi habuisse, qui ad eum convenerunt, socios, nemo ignorat ex I. *Reg.* XXI. *&* XXII. Ex hic, & superius dictis multa nobis patent, manet tamen *Columba multa*, explicanda. Quoties non varia verba, ut *intellectus* in iis, qui praecipua moralia continent monita, aut aliquam principalioris facti, gratiaeve, aut Calamitatis recordationem volunt, Psalmis adiuncta vidimus, *orationis* ubi ferventiores Deo fundantur preces. Aliqua etiam Symbolica sunt, quae cordis in componente, aut recitante sensum figuravere, ut superius Ps. XXI. *Cervae*, & *susceptionis matutinae* ob Divinae consolationis videndae desiderium. Si ergo, ut non dubitandum in spelunca *Odollam*, vel ob illud factum recordandum paulo post hoc Canticum a *Davide* compositum sit, exigua certe mihi circa explicationem remanebit obscuritas. *Principi Davidi super populum, amicorum, qui in spelunca Odollam remoti, seu a sacris longe facti sunt, qui ut columba muta, quae os inter ubique se persequen-*

tes

tes in fuga aperire non audet, omnia patienter sustinet, in recordatione, quae Davidi in terra Philistiim in Geth, & fuga hac evenere. Nec mihi obstat verbum *Principi*, *Lamnazeah*, quod toties chorum musicum secum tulit, quia & hic chorum amicorum *Davidis* intelligit, & saepissime etiam sine omni attributo adiuncto *Davidi* applicatum non negabimus.

Ps. LVI. *In finem ne disperdas: David in tituli inscriptionem, cum fugeret a facie Saül in Speluncam.* Sive de Spelunca Odollam, sive de Engaddi intelligatur, semper ad pauca usque inscriptio explicatur. אל-תשחת *Ne disperdas* ex שחת *dispersit*, & *fovea*, aut *laqueus*. Si haec phrasis non aliis etiam Psalmis praeponeretur, clarissima mihi hic pateret expositio. Quae tamen non aliis canticis tam bene ut isti applicabilis esset. Si Spelunca *Engaddi* cantico occasionem dedit, ubi *Saul* alvum exoneraturus intravit incautus, sic in *laqueum*, & *foveam Davidis*, qui in ea abscondebatur, inciderat, qui eum *desperdere* poterat, & pepercit. Quid clarius est, quam *in tituli inscriptionem* vel, ut Hebraeus dicit *Intellectum*, aut *recordationem*, *super foveam*, vel *disperdas*, apponi. Licet haec genuina fors non sit expositio, ob paulo ante a me dicta, tamen inde mihi via, quam petii, patebit. Saltem erit deprecatio ad Deum, ut eum non *disperdat*, qui inimicum, quem non ex toto iniuste disperdere potuit, tam clementer evadere permisit, quod tam textui, alteri rubricae parti optime consonat.

Ps.

Pſ. LVII. *In finem ne diſperdas: David in tituli inſcriptionem*. Poſtquam *Engaddi* diſcrimen *Saül* per *Davidis* benignitatem evaſerat, non gratus exſtitit, ſed eum magis, magiſque furiis agitatus inſequitur. Sic bene Propheta canit Canticum in rememorationem recepti beneficii. Cui titulus: *Ne diſperdas*, ſcilicet eum, qui te hoſtem ſibi infenſiſſimum vita donavit. Hic etiam in iniquos *Saülis* hortatores, qui ad *Davidem*, perſequendum Regis auribus conſilia tam foeda obganniunt, invehitur. Sive etiam, de altera *Saülis fovea*, in quam noctu *Davide* ad dormientis lectum perveniente intelligas, nec ſenſum, nec paraphraſin mutabit.

Pſ. LVIII. *In finem ne diſperdas, David: in tituli inſcriptionem, poſt Prophetam, quando miſit Saül, & cuſtodivit domum eius, ut eum interficeret*. Quod factum eſt, dum *Saül* ſub veſperet milites miſit, qui omnes domus aditus cuſtodirent, & mane poſtea eum interficerent, ſed hic aſtutia, & fidelitate coniugis ſuae *Michol* evaſit. Nec obſtant illa, quae Incomparabilis *Calmetius* huic rubricae hucuſque ſolus obſtare crediderat, *Convertentur ad veſperam, & famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem. Ecce loquentur in ore ſuo, & gladius in labiis eorum*. Nonne ad veſperam milites ad cuſtodiendam domum miſſi, tota nocte in coenati, famelici, ante eius fores permanent, canibus ob famem noctu ante portas ululantibus non abſimiles, & *circuibant civitatem*, quia in domo non amplius

plius esse reperiendum intellexerunt, sic extra civitates muros vicinum adhuc moeniis credentes quaesierunt: nec certe, dum milites se a *Michol* & *Davide* per lecto imposita *Theraphim* tam contumeliose illusos videbant, blasphemiis, & iniuriis evomendis pepercere. Dicit porro David Deo: me adiuva, & gentes argue, ego enim te non offendi *v.* 5. 6. 7. 8. O terribilem sane, & invincibilem nodum, qui a se ipso se dissolvens Alexandrum non expectavit! Iam etiam: *ne disperdas* ex dictis clarum est; In recordationem, super foveam quam David evasit, quando &c. Oratio ad Deum ne se disperdat, sed non parcat gentibus, non misereatur iniquis persecutoribus. Quos a primis in eodem licet *versu* 6. optime separat, & distinguit.

Ps. LIX. *In finem pro iis, qui immutabantur, in tituli inscriptionem, ipsi David in doctrinam, cum succendit Mesopotamiam Syriae, & Sobah, & convertit Ioab, & percussit Idumaeam in valle Salinarum duodecim millia*. Quod hebraeus. *Praefecto super Sosan* Lilium *testimonii mittam*: recordatio *ipsi David ad erudiendum, quum rixaretur cum Aram Nahataim, & cum Aram Sobah, & reversus est Ioab, & percussit Edom in valle Salis duodecim millia*. Igitur paraphrasis est ex saepius dictis sequens. *Praefecto super cytharam*. Quis cytharas *Lilii* figuram praeseferre ignorat? Quod etiam hexachordon a שש, quod sex dicit, non male vertitur; nec obstat, si quasi *florum* coronam, *flores* enim aliqui verterunt, post victo-

ctoriam ab hostibus reportatam dicas: (*in tituli inscriptionem, David in testimonium recordationis, & eruditionis ex periculi, quod sustinuit, cum bellum haberet cum Aram Nabataim, & cum Aram Sobah, e quo liberatus fuerat, dum Ioab contra illos exercitum convertit, & Edom duodecim millia in valle Salinarum percussit.* Videmus *Syros*, omnesque undique populos *Ammon* auxilium tulisse, inter quos, & *Idumaei* fuere; *David* exercitum sub *Ioab* contra illos misit, qui hunc in duas turmas divisit, primam sibi, secundam fratri suo *Abisai* subdens, qui *Idumaeos* in valle Salinarum percussit. *Ioab* autem ut primo duci tota tribuitur victoria etiam in *Idumaeos*, nam fratris exercitus, a Ioab illuc delegatus fuerat. Difficultas restat in numero, quem vulgata in 1. *Paralip.* 18. ponit *duodeviginti*, Hebraeus eodem tamen loco *octodecim millia*; Hic mendum irrepsisse quoddam in שנים & שמונים *Scenim*, & *Scemonim* vocabulis crediderim, eo magis, quo tota historia tot variis locis indigitata, nullibi integra naturalem in aliis etiam vocibus, ut circa Syros, quorum *i. Reg.* X. 16. quadraginta millia equitum, 1. *Paral.* XI. totidem non equitum, sed peditum cecidisse perhibentur, dissonantiam patiatur. Reliquis autem principalioribus cohaerentibus, non adhuc Rubricam derelinquere fas est. Dicitur quidem Epinicium hoc non festivis acclamationibus, sed tristibus conflare fletibus, ideo minime Rubricae suae convenire, quod *Theodoretus*, ipse, *S. Hilarius* & *Augusti-*

ftinus falli funt. Nec adhuc defero. Non potuit maiori Dei gloria in Epinicio, celebrari victoria, quam fi periculi magnitudo ferventibus ad Deum precibus, mysteria propria, cui inter tantum populorum gentilium contra *Israël* foederatum exercitum evadere victorem impoffibile erat, Dei folius adiutorio virtutem fe facere innuiffet. Quod Pfalmi initium plangens, & finis confidens nos monere voluit. Nec mihi obeft, aliquos exinde coniicere, *Ephraim*, & *Manaffe*, quod fe potituros dicit, Ifraelis non amplius Pfalmi aetate fubditos fuiffe. Non enim haec ait Propheta, fed ut oftendat, quibus viribus in *Moab*, & *Edom* pugnet, dicit, Meus eft *Galead Ephraim*, & *Manaffe*, *Moab* autem tantum fe in fpe habere, & *Idumaeam* fe poffeffurum. Licet enim Canticum hoc fors poft victoriam exaratum fit, tamen in tanti facinoris *recordationem* in formam precum, quafi ante obtentam difcriminis liberationem redactum fit. Illi igitur non folum integra conveniet rubrica, fed & triftis miferiae defcriptio optime neceffaria effe videbitur.

Pf. LXI. *In finem in hymnis David*. Hebr. *Praefecto Cantus ipfi David*. Ex fupra dictis. Hiftoriae occafio nil certi habet.

Pf. LXII. *In finem pro Idithum*, *Pfalmus David*. Pro *Idithum* ideft, ut ab *Idithun*, eiusve familia canatur.

DIS-

DISSERTATIO X.

De Orione Coelesti.





Licet Psalmorum titulos non omnes adhuc crisis nostra percurrerit, varietatis tamen promissae memor, debitae eorum continuationi supersedere, & mythologicis lucubrationibus taedium Lectori aliquantulum ex tot Scripturisticis discursibus procedens sublevare decrevi.

Non potui magis notum verberare Pontum, quam *Oriona* antiquitati tam colendum heroem, eiusque sidus exponere. Voluit tamen humana fragilitas, quae circa clarissima aliquando errare non trepidat, ut aliqui iudiciosissimi Antiquarii circa quasdam gemmas figura *Orionis* inscalptas dubitarint, si non errent. Vt *Causeus* in gemma CLXIX., cuius delineationem in eius *gem. ant. fig. in* 4., & accuratius tamen in Museo *Stoschiano* vidi ex Calcidonia deprompta m, Et *Paulus Maffeus in gem. ant. fig.* in gemma XCII. inadvertenter egere. Licet ambas examinare: *Prima: Vir armatus graeco habitu, insedens scorpioni, dextra libram, sinistra baltheum, & harpen seu gladium falcatum gerens.* Haec a *Causeo* pro Mar-

te,

te, *Libra*, & *Scorpione*, a me autem pro *Orione*, *Libra*, & *Scorpione* agnoscitur.

Nunc ad *Orionem*, de quo sic *Nigidius*: *Iupiter* cum ceteris Diis, quos *Aristomachus* tantum *Iovem*, *Mercurium*, & *Neptunum* fuisse perhibet, apud *Hyrdeum*, aut *Musaeum*, vel ut mavult *Aristom. Caubrisam Thetis* hospitio Dapsili, copiosoque affectu praedito se constituisse, qui voto, ut filium haberet, petierat, eisque bovem immolavit, hi prae commensali hilaritate, & gratitudine in detractum immolati tauri, aut bovis corium mingunt, quod iussu *Mercurii* Terra obrutum est, unde puer *Urion* natus est, ut *Ovid.* 5. *Fast.* 107.

Tunc super iniecta texere madentia terra,
Iamque decem menses, & puer ortus erat.

Et alibi *Hunc Hyreus quia sic genitus vocat Vriona,*
Perdidit antiquum littera prima sonum.

Inde *Orion* adpellatus est. *Creverat immensum*, & statura tua, ut gigas describitur *Virg.* 10. *Aen.* 157.

Quam magnus Orion,
Quum pedes incedit, medii per maxima Nerei
Stagna viam scindens humero supereminet undas,
Aut summis referens annosam montibus Ornum,
Ingrediturque solo, & caput inter nubila condit.

Ne-

Neptunus, quia pater, ipsius erat, dedit ei, ut super Mare, ac super Terram ambularet; Uxor illi erat *Fida* a *Iunone* ob pulcritudinem occisa. *Pherecyd. Apollod. l.* 1. Iuvenis digna deorum forma, atque egregia virtute incitatus immortali memoriae obtemperabat eorum, quibus ortus dicebatur. Venationi se maxime, omniumque ferarum certamini dederat. Dum *Chium* venit *Meropen Oenopionis* filiam compressit, ideo ab huius patre luminibus orbatus, finibus expulsus *Lemnum* venit. *Hesiod. Arat. Phen.* Igitur a *Servio* in *Virg.* 10. *Aen.* 157. *excoecatus* dicitur. A sole tandem lumine restitutus, revertitur ad *Oenopionem*, qui cum a civibus absconderetur, desperata eius inventione, *Cretam* est profectus, ubi cum immodice venaretur, & a *Diana* correptus esset, ait se nullam feram in terris relicturum. *Tellus* indignata *Scorpionem* extulit mirae magnitudinis, qui poenas magniloquentiae eius exigeret, a *Iove*. *Orion* in astra relatus est, & rogatu *Dianae Scorpion*. Quam tamen eius mortem alii aliter narravere. *Nigidius Orionem Dianae*, quae in monte constituerat, opera contempsisse, igitur a dea eius neci *Scorpionem* immissum perhibet. Illum *Dianae* pudicitiae scelus intentasse, cuius etiam poenas solvisse vult *Horat. l.* 2. *Carm. od.* 13. 8.

Notus & integrae
Tentator Orion Dianae
Virginea Domitus Sagitta.

Vel casu fortuito, ut aliqui putant, dum intra maris fluctus ambulantis, caput eius a *Diana*, quid esset, ignorante solum super aquas visum sagitta transfossum est.

Differentem credo esse hunc *Orionem*, a *Methymnaeo*, hic cum esset cytharae potens, Rex *Corynthus Pyranthus* eum dilexit, qui cum a Rege impetrasset, ut civitatem arte sua illustraret, magnumque patrimonium acquisivisset, coniuravere famuli cum nautis, ut eum interficerent; hic petiit ab eis, ut ante decantaret. Cum autem Cytharae sonus cum voce audiretur, Delphini circum navim venerunt, ille super unum ex his se praecipitavit, qui eum sublatum ad Regem *Pyranthum Corinthum* detulit. Delphinus subductis per aestum aquis exanimatus est; *Orion*, cum suos casus *Pyrantho* narrasset, iussit Rex piscem sepeliri, & ei monumentum fieri. Post aliquantulum temporis navis *Orionis Corinthum* delata est; Nautas cum Rex ad se adduci curaret, & de eo inquireret, dixerunt hi illum obiisse; quibus ille, Crastino, inquit, die ad Delphini monumentum iurabitis: eosque custodiri mandavit, interea *Orionem*, uti ex undis exierat, in monumento delitescere voluit; Cum autem adducti iurarent, & *Orion* de monumento prodiisset, illi eum videntes obmutuerunt, & ibi Regis iussu cruci adfixi sunt. Dehinc una cum Delphino a Iove inter Astra relatus est. Hic praeter Stellariam Apotheosin cum praecedenti *Orione* nec minimum commune habet, & melius a plerisque *Arion* dicitur.

 Quid

Quid Historia ? *Orion* Filius *Euryales* *Pherec. Apollod. l.* 1. post votum Diis pro filio suscipiendo solutum ortus, Deorum filius fingitur. Videmus illum montes conscendere, gigantem usque ad caelos pertingere, ergo Astrologum, uti *Atlantem*; Magnus etiam venator, exstitit, praematura aetate, aut tabe occubuit, igitur a Diis occisus est; vel si mavis fortuito quodam casu sagitta cecidit. *Pausanias* in *Beoticis Tanagri* monumentum *Orionis* ponit, quod cenotaphium tantummodo esse recte arguit doctissimus *Banier*; Nam in Insula *Delo Orion*, non in *Beotia*, aut *Tangro* tumulatus est. Nunc ad constellationem.

Antiquiores tantum XVII. Stellas, obscuras X. claras VII. huic asterismo numerarunt; Ingens autem, quod haec figura spatium occupat, triginta, & aliquas complecteret. Ideo *Manilius : Magni pars maxima caeli*. Precipuae autem sunt in capite clarae tres, e quibus media splendidior, in humeris singulae clarae, in dextro cubito obscura, in eadem manu una, in persona tres, in genibus singulae, in mantili tres; Quam deformiter moderni pictores errent circa hanc constellationem pingendam, vide; *Orion* enim se circa taurum vertere debet, ut eius in feris vincendis animum innuat, ex baltheo, quod in brachio sinistro pendet, scutum fecere, ex ense falcato, quem non noscunt, gladium, clavam, aut ensem *Hungaricum*, vulgo *Sciablam*. Nonne media inter tres gladiales Stellas extra rectam lineam posita est;

nec

nec haec pictoribus in asterismum intrare voluit, igitur *Orioni* clavam *Herculis* dedere, An non autem melius cum *Harpe*, quae *Orionis* Ensis est, intrasset, si illi vel mithologiam, vel antiqua arma caluissent.

Baltheum non Scutum *Orioni* competit, vel, si velis, *Dianae* velum etiam, quod audaci manu tangere praesumpsit, mortalique poena exsolvit, ut *Nicander* affirmat. Stellam mirae lucis, & magnitudinis in ostensa, & eversa pedis sinistri parte habet, ubi vulnus a *Scorpione* illi infixum est; Vidi etiam illum sic elevata iugula manu dextra, capite retrorsum cadente, in antiquis quibusdam asterismorum delineationibus, nec male capite ad dorsum pendente, ubi Stella vulnus, quod fors ut alii voluere, a *Diana* acceperat, designat. Ad pedes eius est *Lepus*, & *Canis*; qui tanto venatori, qui in ipsis inferorum campis feras persequi non desinit, iuxta *Homerum* sidera maxime convenientia sunt additi.

Harpe autem *Orioni* ut *Mercurii* filio convenit. Haec ab Ἅρπη *Falx* ob duas cuspides: unam falcatam, alteram rectam nominata est. Hac *Mercurius Argum* obtruncavit. De *Harpe Lucanus* IX. 662.

Et subitus praepes Cyllenida substulit harpen,
Harpen alterius monstri iam caede rubentem

Item *Harpe genus gladii*. *Papias*. Scriptores postea mediae, & infimae latinitatis *Harpen* falcem ruralem dixere *vid*. *Albertinus*

Mus-

Mussatus l. 6. de gestis Henr. VII. Caes. rubr. 10. *Is enim praefato Ricciardo fratri per eosdem poene dies per ignotum ruralem virum agresti* Harpe *nequiter interfecto successerat*. Nil tamen magis ridiculum, quam commentatorum *Suidae in* hunc locum *Harpes* cum *Sciabla*, barbarorum comparatio, dum haec se extra, illa se intra vertit, ususque earum maxime diversus est. Prima enim stringit, secunda separat.

Scorpii immanem ne mirere in gemma magnitudinem, non tantum, quia tellus eum in *Orionis* exitium talem produxit, sed & dum iuxta *Hyginum*, & *Manilium l.* 2. *vers.* 258.

Scorpius in libra consummit brachia

Ita ut antiquitus eius magnitudo ambas: & *Librae*, & *Scorpii* partes occuparet vid. *German. in Arat.*

Maiorem
Scorpius hinc duplex, quam cetera possidet orbem
Sidera, per Chelas geminato sidere fulgens.

Virg. 1. *Georg. vers.* 32.

Anne novum sidus tardis te mensibus addas,
Qua locus Erigonen inter Chelasque sequentes
Panditur.. Ipse tibi iam brachia contrahit ardens
Scorpius, & caeli iusta plus parte reliquit.

Non potuit tamen nisi depictus in tabula caelestis *Scorpius Orioni* sociari, qui eodem tempore, quo hic oritur, occidit, quod Poetae antiquae inter illos inimicitiae attribuerant. Fert igitur gemma ista opposita duo, contradictione tamen ipsa correspondentia sibi sidera. *Libra* hic ut *Scorpioni* alias iuncta apponitur, ita ut maxime contrarietate, aut amplexu sociata contineat.

Secunda est gemma, quam *Paulus Maffei* ab *Aenea Vico* mutuavit, sed *caelestem Aquarium* nominat. *Iuvenis nudus, dextra Scorpionem, sinistra vas aquam effundens premit*. Quid Scorpius cum Aquario? *Orioni* autem certe conveniet.

Quis fata putaret?
Scorpion, aut vires naturae mortis habere?
Ille minax nodis, & recto verbere saevus
Teste tulit Caelo victi decus Orionis. Lucan.
l. 9. 168.

Stella, quae inter omnes huius asterismi lucidissima *Orion* dicitur, *iugula* ab antiquis nominata noctu aquis turgida splendet.

οδε δυεται χωθι προ
Αθροος ωριων
Occidit ante matutinum cumulatus Orion.

Ideo alibi *Hesiodus*.

Ευτ'ανδο 'Ωριων και Σειριος ες μεσον ελθη
Ουρανον Α'ρκτυρον δο εσιδη ροδοδακτυλος Ηως,
Ω Περση, τοτε παντας αποδρεπε οικαδε βοτρυς,

Quum

Quum vero Orion, & Sirius in medium venerit
Caelum, Arcturum autem inspexerit roseis digitis Aurora,
O! Persa tunc omnes decerpe, & fer domum uvas.

Nec male *Horatius* 1. *Car. od.* 28. 5. ei *Notum* pluviosum inter ventos socium assignat.

Devexi rapidus comes Orionis Notus.

Ideo *tristis Orion*; *Infestus nautis Orion*; *Aquosus Orion*; *Nimbosus Orion magno trepidat tumultu*, *Virg.* 4. *Aen.* 11; *Horat. Epod.* 15. 2. 3. *Carm. od.* 27. 4.

Nec minor est *Orionis* pulchritudo, quam *Ganimedis*, ut formosissimi iuvenis forma pingi possit. *Vid.* 2. *Odyss. l.* 11. ubi *Homerus Neptuni* filios *Ephialten*, & *Otum* magis ob speciem commendare non potuit, quam si eos *Orioni* ipsi non cessuros ostenderet. Constellationem hanc Arabes *Algebar*, seu *Gigas* nominant, qua figura, & robur, & speciem antiquis designare scimus ex dictis.

Ad omnium combinationem libet hic aliis etiam diversa cum dictis convenientia *Arati* loca addere de Stella, quae in ense resplendet.

Tela caput, magnique humeris sic balteus ardet.
Sic vagina ensis, pernici sic pede fulget.

Alio loco.

Subtrahit obliquo, qua sese circulus orbe
Signifer, in Boream Australes egerit umbras.
Ut medii iam mole poligera pectora tauri;
Su-

Suscipit Orion, neque quisquam nocte serena
Transierit, celso late se cardine pandit,
Auratumque rubens dimittit baltheus ensem.

Nec si etiam quibuscumque sagittarum armis *Orionem* occisum credamus, quidquam erramus; nam *Scorpionem* machinam bellicam esse legimus apud *Hirtium de bello Afric.*, *Senecam Quaest. Nat. l. 2. c. 16.* & *Vitruvium l. 1. c. 5.* Qui tamen *Ammiano*, *Suidae*, & aliis *Scorpidia* diminutive dicti sunt. Ita autem vocatum hoc genus armorum est, quia *Scorpionis* ferme figuram referebat, nam arcus extensus hinc, & inde in ambas partes spicula protendebat, ita ut retro etiam uti *Scorpius* ictu caudae, sic machina haec spiculis parvis mortem afferret. *Tertul. Scorpiaci adversus Gnosticos c. 1. Unde & bellicam machinam retractu tela vegetantem de Scorpio nominant. Id spiculum, & fistula est, patula tenuitate id vulnus, & virus, qua fugit, effundit. Vegetius: Scorpiones dicebant, quas nunc manuballistas: ideo sic dicti, quod parvis, subtilibusque spiculis mortem inferant.* Sic etiam *Lipsius l. 3. Poliorcet. dial. 4. Caes. l. 7. Scorpione ab latere dextro traiectus concidit.* Nil ergo remanet, quod non potius *Orionem*, quam *Ganimedem* nobis indicet. Potuit etiam *Orion* ab Equite aliquo, qui Sagittarii erant, retrovertente ictu occidi, uti Equites passim Numidiae, & Barbari vulnerare solent, sic semper a *Scorpione*, qui non alio quam retrogradè spiculo pungit supra caput converso, occisus perhibebitur. Hoc etiam sensu video

video pulcherrimam Sardam, eiusque accuratissimam gemmae delineationem in dicto Museo Stoschiano, & est; *Cancer*, *& Scorpio caelestis sibi appositi ex parte arcus*, *& Sagitta*; Connexio, quae *Cancrum* in eadem gemma cum *Scorpione* copulavit, non a longe petitur, sed ex Historiae, aut fabulaequae ambos inter stellas reposuere, similitudine ostenditur. Iunonis in *Herculem* odium Cancrum, *Dianae* in *Orionem* ita Scorpionem è terra excitavit, ut pedem Herois cum alia fera decertantis vulneraret, sed diversum monstra habuere exitum; occidit inviso iaculo tumulatus *Orion*, conterit observatas inter ipsum cum Hydra *Lernaea* certamen insidias *Alcides*; ambi hostes a *Diana*, & *Iunone* caelo annumerati sunt stelleo; Retrogradum animal *Cancer* est; retrogrado *Scorpius* incautos vulnere necat. Apposita Sagitta, & arcus meam bellici instrumenti descriptionem, & eundem, ut diximus, cum Scorpione Sagittarum effectum confirmat.

Haec quantum ad dictarum trium gemmarum correctionem, & explicationem sufficiunt; *Orionem* etiam caelestem, prout dixi, corrige, & vale.

Corollarii loco libet aliquas nobis diversis è mythologiis decerptas circa *Orionis* constellationem superaddere observationes. Quarum non minima est Arabica; hanc in *Catalogo Stellarum Aulogbeg*, *& notis Hyde pag.* 32. invenimus. Ait *Abduramon Suphi* constellationem, cui nomen *al Giauza*, sic enim *Orionem* nuncupant, & feminam fuisse fingunt, nupsis-

fuisse *Sockeil*, qui nobis *Canopus* est; *Sockeil* tam ardenti passione in mulierem ferebatur, ut amoris ardore ipsius vertebram, ac dorsum fregerit, tantoque exinde dolore vulneratus est, ut sedem suam reliquerit, & fluvium transiens, ibi, ubi nunc *Canopus* est, substiterit. Sed, & de hac fabula in graecorum mythologia nulla nobis deest antiquitas. Videmus enim unam ex *Pleiadibus* sedem suam relinquentem, ob Stellae *Orionis* vicinitatem. Quam terribilis hic, & ipsis Deabus fuerit heros ex dictis vidistis, constellationis igitur in caelum suscepta apotheosi, una ex *Pleiadibus*, quae septem fuere sorores, *Electra* nomine ita illum timuit, ut eius persecutionem sedis antiquae derelictione evitaverit. In qua *Electrae* fuga conveniunt omnes, licet eius rationem diversa persolvant fabula, nam alii *propter Dardanum amissum, Troiamque sibi ereptam; alii existimant illam Meropen conspicere erubescere, quia mortalem virum acceperit, cum ceterae deos haberent, ob eamque rem de choro sororum expulsa moerens crinem solutum gerit, quae cometes appellatur*. Quae *Merope* male apud *Servium* legitur *Sterope*, cui autem haec *Merope* nupserit, nescimus, aliqui dicunt *Sisypho*, *ut Serv. ad 1. Georg. 138.* alii *Hyperocho*, & ex eo *Oenomaum* genuisse; *annot. Tzetzis ad Lycophron. vid. Hyg. fat. 192. Sic Ovidius in fast.*

Quae septem dici, sex tamen esse solent.

Item alio loco: - *Troiae spectare ruinas*
Non tulit ante oculos, apposuitque manum.

Sic

Sic ex *Smynthe*, quem authorem citavere, cometam fuisse videmus, qui circa *Pleiades* apparere coepit, & ad *Canopum* usque cursum consummando disparuit, in quo quam bene omnes conveniant *vid. Hygin. Astron. poet. l.* 2. *de tauro; fat.* 192. *&* 195. *Avienus Arat. Phaen. p.* 96. & pulcherrimam huius phaenomeni descriptionem.

Nonnunquam Oceani tamen istam surgere ab undis
In convexa Poli, sed sede carere sororum,
Diffusamque comas cerni crinisque soluti
Monstrare effigiem, diros hos fama Cometas
Commemorat tristi procul ista surgere forma
Vultum ardere, diam perfundere crinibus aethram
Sanguine sub pingui rutiloque rubere cruore.

Ex his omnibus patet primo *Orionis* constellationem omnibus temporibus, cunctisque populis notissimam fuisse, licet diversis nominibus, differentes fabula indigitaret historias. Quoad non accuratissime citata a Doctissimo viro *D. Banier* scripturae loca, hoc addam *de Tob. c.* 9. *v.* 9. *& Ezech. c.* 13. *v.* 10. non adhuc definitum esse illa de *Orione* loqui, nilque minus, quam hanc vocem legi; in *Amos* tamen *c.* 5. *Orionem* quidem in versionibus, non vero, ut quidam simulant, in Hebraeo videri. Quare a *Lycophronte Tripater* nominetur, est, quia tribus Diis *Iove*, *Mercurio*, & *Neptuno* genitus dicebatur, *ut supra*. Vale.

AD-

ADDENDA CORRIGENDA, ET EMENDANDA.

DISSERTATIO VII.

Pag. 108. *rampamus* l. repamus. Pag. 109. *dignae* dignas. Pag. 119. *Habſſurgenſis* l. Habſpurgenſis. Ibid. 173. ad 7.

DISSERTATIO VIII.

Pag. 126. *Sancta* l. Sancti. Pag. 131. *nullo illos* l. alios. Pag. 136. c. 9. omit.

DISSERTATIO IX.

Pag. 140. *Calmetium* l. Calmetum Ibid. l. 19. *Georg.* omit. *Ibid. Halmuth Ben.* l. *Halmuth-la Ben* Pag. 141. *quod* l. quo. Pag. 142. *actis* l. actio. Pag. 143. *liberati* l. liberari. Pag. 145. *aeroſtychus* l. acroſtychus. Ibid. *narrare* l. narrari. Ibid. *indigitare* l. indigitari. Pag. 146. αυεπιγραφος l. αντεπιγραφος. Pag. *ce Halamoth* l. *El Halamoth* Pag. 148. *veni* l. *venit*. Ibid. *Calmetius* l. *Calmetus* Pag. 149. *Columba multa* l. *Columba muta*. Pag. 150. *recordatione* l. *recordationem*. Ibid. *Textui* ad quam. Pag. 151. *veſperet* l. veſperem Pag. 152. *civitates* l. civitatis Ibid. *ſeparal* l. ſeparat. Ibid. *mittam* l. Michtam Pag. 154. *Galcad* l. *Galaad* Ibid. ſit l. eſt.

DISSERTATIO XI.

De Sancta Corona Regni Apostolici.





Loriosissime Regnantis *Regis* nostri *Apostolici Mariae Theresiae* nomen in VII. discursu legistis. Quia tamen inusitato vobis more virile decus foemineo corpori, plusquam virili licet animo attribui negastis, patientiae vestrae adiungere non denegate, quod pertinacia mea nulli in hoc sibi conscia erroris, novis commentationibus addere decrevit.

Regnum *Hungaricum*, quod & *Apostolicum* vocatur, Rege eius S. *Stephano* Ducis *Geyzae* filio ad fidem Christianam converso A. C. 969. a S. Sede Romana Coronam sibi sacrari, mittique petiit, & obtinuit, qua S. Rex omnium miro consensu, & applausu coronatus est A. C. 989.

Quae variis propitiante coelo conservata est discriminibus, ita ut tanquam a Deo data, superis dimissa, prodigiis veneranda, sancta suis audiat corona.

Dum A. C. 1304. res eo devenerat, ut prae intestina discordia post mortem *Andreae* III. *Veneti*, quae *Budae* A. C. 1301. accidit,

 nullum

nullum adhuc solidum Regem haberent; Inductus fuit enim per quosdam *Hungaros* contra *Carolum* pronepotem *Stephani* V. aetate adhuc tenerrimum *Ladislaus* Regis *Bohemiae* filius, quem *Boiohemi Wenceslaum* dicunt. Hic tamen ob *Hungarorum* dissensiones non longus extitit Regni moderator, habuit enim *Carolus* suos asseclas, alii autem *Ottonem Boioariae* Ducem appellarunt. Cui *Ladislaus* timidus iure, & Regno cedere voluit. Intrat hic A. C. 1305. *Hungariam*, & impetratam a *Ladislao* coronam secum in Regnum affert; illam *Albae* populis, Pontificibusque ostendit, quam ubi omnes conspexere, veluti numine ipso afflati cuncti in *Ottonis* partes concessere, illumque A. C. 1305. *Benedicti Vesprimiensis*, & *Antonii Chanadiensis* Antistitum manibus coronavere. Quo itinere *Otto* coronam tornata lagena inclusam, ne quo forte sibi dolo surriperetur, fidelissimo commisit cubiculario, neque quid intus conditum esset, significavit. Dum iter omnes faciunt, tam insignis momenti lagena, quae ex equestri sella pendebat, soluto loro, inscioque famulo decidit, neque nisi ad serum usque tempus, post viginti millia passuum iam inde emensa, iacturam adverterat; Pedem audetem, statim ut intellexerat, resolvit, lagenam media in via reperit, & postero die ad *Ottonem* detulit; transiere eandem viam tot alii itinerantes, nec ullus eam Divino impediente iudicio advertere ausit; hoc in duplex augurium, unum *Ottonis*, quod Regno nempe potiretur, alterum Regni, quod San-

Sanctum a coelo acceptum diadema ab Apostolico non possit Imperio alienari, explicatum est. *Ottonis* tamen non diu duravit felicitas, qui a *Ladislao Transylvaniae* Duce dolo captus, & usque dum Regno renunciaret, captivitati ignominiosae servire debuit, inde turpiter eiectus, in *Bavariam* reversus est.

Mortuo A. C. 1382. *Ludovico* I. *Caroli* dicto filio, remansit bina foeminea proles: *Maria*, & *Hedvvigis*. Quarum prima *Hungariae*, secunda *Poloniae* Regnum obtinuit, cui ut reverentiam, & amorem, quo erga eius Patrem ferebantur, enixius ostenderent, illam non Reginam, sed *Regem* proclamarunt, sacroque diademate Regum more coronarunt. Erat enim hucusque mos Reginas in humeris, non in capite prout Reges sacrare; Prima tamen inter foeminas Masculino more in vertice coronata est *Maria Rex*, sicque etiam ab omnibus non solum proceribus salutatur, sed etiam in nummis, mausoleis, inscriptionibus, monumentis legitur. Dignum enim est, ut Martiae genti non nisi vir, aut virilis animi foemina imperaret. Sed Gloriosa natio, quae eo tempore non his constantiae fulgebat nitoribus, quibus sub Rege nostro nunc gloriosissime Regnante *Maria Teresia* Gallicas tam generose sprevit insidias, Barbararumque gentium restitit aggressionibus, cum *Maria* I. Rege non diu contenta *Carolum* II. *Parvum*

Regem *Neapolitanum*, *Ludovici* I. ex fratre *Andrea* nepotem advocat, qui tamen in arce *Budensi* A. C. 1385. instigatione *Eliza-*

L 2 *bethae*

bethae Matris *Mariae*, & *Nicolai de Gara* Palatini Regni a *Blasio Forgach* occiditur; Rex *Maria Sigismundo* nupsit, ac illi sponte ius Regium cessit, qui rite etiam A. C. 1386. ab incolis Regni electus est. Hanc *Mariam*, non tantum in omnibus scriptoribus Hungaricis, & lingua latina, aut patria, sed & Italis, ut *Summontio* Napolitano, ac *Koehlero* Germano, Gallisque ut *Morerio*, omni in alieno idiomate *Regem* appellari experimur, adeo ut nulli vel ratio suscepti, vel usus gloriosi in Rege nostro *Maria Theresia* nominis, & repetita applicatio, ignotae esse deberent.

Ad S. Coronam redeamus. A. C. 1439. Albertus Rom. Imp., qui ob uxorem *Elizabetham Sigismundi* filiam post huius decessum Rex *Hungaricus* salutabatur, vix duobus annis completis obiit, gravidam post se relinquens Reginam. Ista iam ante eius mortem ex Regio Aerario S. Coronam mira dexteritate ab omnium oculis semovit, & confidenti aniculae traditam, in *Austriam* abstulit. Incauta tamen vidua ante Proceres convocatos se statuens, illos ad libere Regem statim eligendum, ob formidolosam uteri, quem gerebat, expectationem, Regnique necessitatem, quae moderatorem exigens nascente puella deciperetur, hortata est; Usurpata igitur potestate optimates ad eligendum Principem in Regalia comitia concurrunt, ubi extemplo in *Vladislaum* iuvenem adhuc *Poloniae* Regem *Casimiri* fratrem conveniunt, iniuncta tamen illi, ut Reginam sibi viduam uxorem ducat, conditione. Legati *Tin-*

niensis

nienſis Epiſcopus, *Mathicus Raguſinus* Dalmatiae Praefectus, *Emericus Marcellinus* Vaivodae filius, & *Ladislaus Palocius* in *Sarmatiam* ad novum Regem evocandum abeunt. Interim *Elizabetha* Regina A. C. 1440. elegantiſſimum peperit filium, cuius conſpectu ſe tam inconſiderato illi Regnum ipſammet data optimatibus eligendi libertate ademiſſe vehementer ingemuit. Erat enim *Hungaris* animus, ut quod illa ex *Alberto* pareret, *Bohemiae*, & *Auſtriae* poſſeſſione contentum remaneat, liberis vero ex *Vladislao* genitis ius in *Sarmatiam*, & *Pannoniam* quaereretur. Inconſtans igitur mater electioni *Vladislai* ſtatim poſt natum puerum, quem *Ladislaum* appellavit, contradixit, ac factione optimatum in illius favorem evocata *Albae* in Baſilica S. *Stephani* a Cardinale *Dionifio Zecch* Metropolita *Strigonienſe*, praeſentibus Antiſtibus *Mathia Veſprinienſi*, & *Benedicto Iaurienſi*, proceribus *Vlrico Ciliae* Comite, qui ut *Elizabethae* avunculus igitur Reginae proximus pro imbelli *Ladislao* conſueta emiſit ſacramenta, *Nicolao Vilacki*, *Ladislao Gara*, *Andrea Both*, *Ladislao*, ac *Emerico Kaniſai*, *Ioannis Kaniſai* Vaivodae filio, *Thoma Zecch*, innumeroque nobilitatis ordine, plorante futura filii infortunia inter coronandum ipſa Matre, genibus Reginae inſidentem puerum in Regem ſacrari effecit. Peracta coronationis feſtivitate, ſolutoque conventu, mater una cum puero, multo Procerum comitata tumultu *Viſſegradum* conceſſit, ut conſueto more ſacram in ſolito loco coronam reponeret. Hanc

 enim

enim arcem veteres semper ut tutissimum locum diademati recondendo deputarunt, eique ideo illa aetate insignis inter Proceres *Nicolaus Gara* praeerat. Regina autem S. Coronam, quam ante omnium oculos recondere simularat, eorum denuo dexteritate sua, quam superstitiosa praestigiis attribuit antiquitas, fallens lumina abstulit, & vacuam Thesauro praecipuo arcam ab Optimatibus obsignari iussit, & occludi. His peractis Regni diffidis causata ad *Fredericum* Rom. Reg. aufugit, eiusque fidei filium *Ladislaum*, & ius una cum S. Corona committit. Interim Hungariam intrat *Vladislaus*, multos quidem a se mutatos conspexit animos, fidelibus tamen suis assectis, eo magis, quo eius praesentia absentis quotidie infantis partes labefactaret, *Vissegradum* ad reserandum diadematis aerarium contendunt, ut *Sarmaticum* sibi moderatorem coronarent. Admirati in thesauri integritate diadematis ablati defectum, furtum Reginae deprehendunt, & vehementer exinde turbati, tandem ad *Regalem Albam* properandum esse decernunt, nec Diadema, dum in locum coronationis advenirent, defuturnm esse, sperare iubent, ne foeminae peregrinae, sed Hungarorum auctoritate Reges coronarentur. Dum in D. *Stephani* Basilica adventum est, cum vera furto corona defuisset, e S. *Stephani* Regis simulacro, quod in Sacello colebatur, occasione id petente diadema desumptum, eoque sarmaticum caput coronatum est. *Vladislaus* autem, postquam contra *Ladislai* copias decertasset, le-

gati

legati Pontificii *Iuliani Caesarini* persuasione, iniusto bello, fideque fracta, cum *Amurathe* Turcarum Imp. memorabili ad *Varnam* praelio, aut clade conflixit festo S. *Martini* A. C. 1444., & occubuit. Nova electione puer *Ladislaus* V. in Regno confirmatur, eique *Ioannes Corvinus* dictus *Hunniades* Regni gubernator adiungitur. Hic ad *Fredericum* Imp. legationem mittit, quae Regem, & Coronam Hungaris restituendam petat. Sed dum nullis persuasionibus Imperatorem movere potest, parato ad id exercitu *Austriam*, *Styriam*, *Carinthiam*, & *Carnioliam*. A. C. 1446. per biennium flamma, ferroque devastavit. Sed frustra. Intrat Vngariam *Ladislaus* Rex, ac intra ipsos nuptiarum sumptuosissimos apparatus cum *Magdalena Caroli Regis Gallorum* filia obiit aetatis, & coronationis suae anno XVIII. Cui *Matthias Corvinus*, *Iohannis Hunniadis* filius A. C. 1458. in Regem Vngariae electus succedit, hic denuo a repetenda Corona non destitit, quam Imperator reddere ideo denegabat, quia nullum legitimum nisi ea habita praefati Regni Principem esse credebat, semperque infaustas sibi, & Pannoniae turbas concivit; Rex igitur coronae redemptionem *Ioanni* Episcopo *Varadiensi* spectatae fidei viro commisit. Hic rem tandem illac cum Imperatore composuit, ut *Vngaria* 70000. autem aureorum S. Diadema redimeret. Quod cum Regni Proceres rescirent, gravissime senserunt, propriam se tanti emere coronam debere, & ideo Caesari *Ioannis* pactum se invitis fieri scripse-

 runt

runt; Fuere tandem septem hi e proceribus ad tantam commissionem designati: *Ioannes Varadiensis* Antistes, *Stephanus Colociensis* Metropolita, *Nicolaus Villachus*, *Ladislaus Palocius*, *Emericus* Quaestor Regius, *Lamberger*, & *Benedictus Thurocius*, Qui 3000. equitum turma comitati coronam digno splendore allaturi, dum Caesarem in *Australem Neapolim* ire sensissent, *Sempronium* venere. *Sempronium* enim olim una cum arce *Elisabetha* Caesari oppignerarat, & ideo facilius impetrarunt, ut *Sempronienstum* hospitio legatis usque post factam de Corona transactionem libere uti liceret; Multitudo tamen equitatus Imperatori suspecta fuerat, ita ut non legationem, quae tractare parat, sed militarem expeditionem, quae forte quodam stratagemmate, aut vi sua repetere tentaret, suspicatus fuisset; Portas igitur statim obfirmare militibusque moenia per stationes custodiri iubet, nec plures quam 200. equites cum *Ioanne Varadiniense* in arcem intrare permisit; Rumor postea excreverat, Imperatorem duas coronas adulterinas affabre factas, ne vera dignosci possit, Hungarorum oculis obtrusurum esse; Quare *Ladislaus* delegatus est, ut rei veritatem exploraret, hic primo obtutu veram, sacramque coronam suo quodam agnovit signo. Interea Caesar *Sempronium* ad reliquos legatos ad pecuniam etiam intuendam *Paumkirhner*, & *Grosch Nichel* misit; dum autem ultro citroque veritas tum Coronae, tum pecuniae stabilita est, nova demum contentio exoritur, dum *Caesarei* coronam ante nummos receptos

non

non extradere, *Vngari* nisi corona redempta se nec obolum exsolvere dicunt; *Varadiensis* tamen & *Pataviensis* Episcopi interventu factum est, ut eodem tempore ad portas urbis, hinc corona legatis, illinc Caesari pecunia traderetur, unoque momento compensatio fieret.

Recepta postea corona exstat Matthiae Regis Decretum. A. C. 1464. art. *De conservatione sacrae coronae*. His verbis. *Item, quia novimus nos, & noverunt omnes domini Prelati, & Barones nostri, novit etiam tota communitas regni, quomodo, & qualiter propter indebitam custodiam, & provisionem sacrae coronae, ipsa corona fuit ab hoc Regno alienata, in cuius alienatione irrecuperabilia damna, & indicibilia spolia, & multas incommoditates hoc Regnum passum est; & tandem post multos labores, & fatigas, & graves expensas ipsa corona ex pecuniis communitatis Kegni novissime est redempta: Nos ergo volumus, & debemus de pari consensu, & voluntate dominorum Praelatorum, Baronum, & Regni nostri nobilium hoc in loco providere circa debitam custodiam, & c.nservationem ipsius coronae sacrae locum alias consuetum, & personas ad id idoneas, ne (quod Deus avertat:) ipsa corona iterato ab hoc Regno alienetur.*

Item *Decretum Ladislai*: A. C. 1492. *art*. 3. *Quod Rex coronam nunquam de Regno auferat, sed in arce Vicegradien conservabit, quae ad hoc fuerat olim attributa, & eius conservationi praeficiet, quos Regnicolae elegerint.*

Item

Item *eiusdem Regis: A. C. 1500. art. 23. Quod duo domini saeculares fideles eligantur, qui coronam Regni conservent.*

Haec est Sacra Corona, cuius auro redimitum caput Rex Apostolici Regni dicitur ita, ut uxores Reginas in humeris sacrare, non caput cingi usus antiquus fuisset. Interim: vid. *Bonfinii Histor. Hungar; Abr. Backschay Chronolog. Hung; libr. Decret. Hungar; Thoroz. Chron. Hung; Nadani Flor. Hung; & MS. decret. Hung; in Bibliotb. Stosch.*

Postquam de dicto diademate, quantum oportuit, egimus, monet me necessitas gloriae nostrae, & occasio, quae id forte moderna in temporum crisi expetere posset, maioris momenti non cum imperito Zoilo, sed cum Regno, quod omnibus aliis Christianis Principibus hucusque non tamen ab immemoriali quodam tempore praecedentiae bravium extorsit, iuris publici disputationem inchoare.

Quodlibet habeat Imperium fautores suos, & defensores, nec me moverer superbi populi iniquitas; quae omnes vi quadam gentes praecedit. Ne autem & Regnum Apostolicum eandem a Thrasonibus illis iniuriam patiatur, qui patrio amore, aut falsae, fictaeque gloriae libidine exaestuantes omnia meliora contemnere, aut non veriora semper pandere licitum putant, antiquitatem, Gloriam, honorem, iura, independentiam, potentiam, caeteraque regalia dicti Regni, cum Christianissimo, in parallelum disputationis punctum expendenda proponam.

Longo

Longo enim iam aevo Reges *Hungaricos* semper Imperiali Diademate redimitos omnem cum Rege *Galliae* Caesarea gloria contentionem finisse vidimus; Nunc autem quia Elector Bavariae sub Titulo *Caroli* VII. vacuum Imperiale solium tegit, si etiam non impleat, & *Maria Theresia*, *Rex Apostolicus*, soli suo Regio splendori relicta est, oportet, ut conspicui huius throni iura in digna Dominae nostrae praecedentia toti mundo praelo patefaciamus publico, ut, quodcunque postea etiam in contrarium fiat, quilibet quid facti, quid iuris, ubi aequitas, ubi iniustitia, discernere valeat.

De iis enim quae iuris, aut facti sunt, aequa semper doctissimis quibuscumque iuris publici cultoribus fuit distinctio, adeo, ut non semper illa aequitatis legibus fundata asserant, quae ratione status id exigente aliquando vel in iustum non vocantur dubium, vel quae occasione altercationis casu haud superveniente, vel dissimulationis, aut concessionis voluntariae non militante recessu nullis praescriptionis vinculis obstringuntur. Scio quidem non semper quoscumque Reges etiam omnia sua licet iusta petere, si ex ea petitione pacis publicae tranquillitatem turbari sentiant. Quanta non saepius pietatis studium in *Austriae* gentis sapientissimis Imperatoribus hostium iniustae etiam pertinaciae concesserat, quod subditorum, omniumque Christianorum sanguini, quem multis Principibus proprietatis crudeli superbia effundere impune licet, pepercerint. Scio alios immitis ani-

animi fuisse Monarchas, qui gloriae studium in eo quaesiere, ut omnibus antecellerent, quod quia crudelitatis nomine se maiores non invenerant, aut aequales, quibus exempli gratia in epistolis prius nominari pretiosius triginta millium sanguine subditorum fuerat, facillimum evenerat. Quanta non Historia nobis coronatae saepius superbiae praebuit in soliis exempla, ita ut tormentorum Bellicorum insignis, sulfureusque horror lex unica, & ratio Regum dici soleat. Haec sola est, quae promissa servare faciat, & quod honestas viro privato prohibet, mentiri Reges aliquando invita necessitate impediat. Inutiliter scribere me scio, si praecedentiae gloriam *Mariae Theresiae Regis Apostolici, & Dominae nostrae* defendam, si *Coronae Hungaricae* gloriam Calamo depingam, quia gloriosior benignitate, & clementia Monarcha noster vanum potius titulum praecellentiae suae dissimulare, quam ut potentia sua valeret, vel unico viri sanguine emere, aut confirmare vellet. Ne tamen gloria Coronae nostrae deesse videatur, quam in omnium honestorum virorum pectoribus pia coronat potius, quam perdit dissimulatio, aliqua minima licet huius rei monumenta, & rationes adferendo publicum iuris nostri lectorem instruam.

Signa loci inter Regna Christiana determinandi ordinaria sunt. I. Antiquitas Regni. II. Prisca & antiquior populi gloria, & origo. III. Partes Imperii nobiliores IV. Vastitas Dominii, & potentia.

Haec

Haec per aliquot Dissertationes, prout materiarum tempus sufficiet ponderi, tractare paratus sum; ita inter haec, Psalmos, aliasque disparatas disputationes tomi nostri varietas continuetur.



DISSERTATIO XII.

De Antiquitate Regni Apoſtolici, & Hiſtoria uſque ad Avarium.





E Regni Apoſtolici Antiquitate acturi, ab *Hungaricae* Monarchiae initio nobis incipiendum eſt. Illam Regionem, quam modo *Hungariam* adpellamus, antiquis *Pannoniam* nuncupatam fuiſſe, probare, quia notiſſimum, ideo mihi ſuperfluum, vobis Lectores indecorſum eſt. Ab illo igitur tempore Nationis *Hungarorum* Epocha ſtatuenda eſt, quo illa Regionis Domina inconteſtabiliter effecta eſt, & nunquam totaliter eſſe deſiit. *Secundo*: Regnum eſſe Incoepit *Pannoniae* Provincia, quando ab Imperatorum Romanorum poteſtate armis liberata, parta, & occupata, communi omnium Dominorum, & Principum conſenſu in Regiam authoritatem, titulum, ac potentiam tranſiit, nec Regnum eſſe deſivit, aut alio, quam eodem, qui illud in Regnum erexit, conſenſu diſſolvi poteſt.

Sic ſcimus, quaelibet ditiones, licet hoſtium incurſione Regna fere omnia, licet quid ſemel humani perpeſſa ſint, licet in anguſtiora limi-

na aliquando inimicorum illa includat vehementia, ut Regno *Galliae* potentissimo, *Normannis*, *Britannis* effectum est, licet ob internum dissidium Regia saepius potestas in plura saepius capita dividatur, ut *Francorum* Regale solium in quatuor tenuissimos Monarchici splendoris radios discordia discerpserat per Reges: *Lutetiae Parisiorum*, *Augustae Svessionum*, *Metis*, *Aureliae*. Nec quidem etsi aliquo tempore Regnum in inimicorum sit mamanibus, & interdum moderatores succedere Regum titulo nequeant, ut in Regno *Lusitaniae*, *Cypro*, *Siciliae*, *Norvegiae*, & aliis vidimus, dum iterum in propriam potestatem redeunt, non solum in Regii tituli continuationem, & antiquum ius redire, sed &, quamvis sub alio Regno confusa videantur, illum unquam, nec quidem amisisse in *Navarra* cernimus.

Hoc autem omni tempore ab omnibus semper Philosophis quoad Respublicas argumentum est ex eo *Arist. de Rep.* principio notissimo. Βασιλεια δ' υπο μεν των εξωθεν ηκιστα φθειρεται, διο και πολυχρονιος εστιν: εξ αυτης δε αι πλεισαι φθοραι συμβαινουσι. *Regnum autem a rebus, quae veniunt extra, minime extinguitur, quare diuturnum est, ab ipso autem plurimi interitus existunt.*

Contra enim evenit, ut quae una civitas fuerat, dividatur, aut consensu mutuo, aut vi bellica, sicut corpus Imperii Persici divisum est in Alexandri successores. Quod cum sit, plura pro uno existunt summa imperia cum suo iure in partes singulas, si quid commune fuerit, id aut

com-

communiter administrandum, aut pro ratis portionibus dividendum. Huc referenda est & discessio, quae ex consensu fit in colonias. Nam sic quoque novus populus sui iuris, nascitur. Hug. Grot. de Iur. Bel. & pac. lib. 2. duobus enim tantum modis interit Regnum, *uno quidem cum dissenserint inter se, qui communicant ipsi, altero autem modo, more tyrannorum administrare ipsum nitentibus, cum in sua potestate plura esse postularint, atque id adversante lege.* Φτειρεται δε κατα δυο τροπυς, ενα μεν, ςασιασαντων των μετεχοντων βασιλειας· αλλον δε τροπον τυραννικωτορον πειρωμονων διοιχειν, οταν ειν ται χυρυοι πλειονωμεν αξυωσι χαι παρα τον νοομομεν. *Conservantur autem, quod planum est, ut in universum loquar, e contrariis.* Σωζουται δε δηλον, ωσαπλως μεν ειπειν, εχ των εναντιωμεν. *Arist. loc. cit.* Nec aliter loquuntur. *Puffendorffius de Iure naturae, & gent.* omnesque publicistae. Nunquam autem ob revolutionum diversitatem Regnum dissolvi, aut regium splendorem quis dixerit, si in ipsis Rebus publicis, quae Aristocraticae sunt disciplinae, & auctoritatis, dum Regna quaedam possident, Regium sibi, aut suo potius dicam corpori, adsciscere cernimus fulgorem.

Non putet quisquam Lectorum taediosam sibi hanc esse digressionem, cuius magna mihi, ac alicuius stabilis & praenotatae idea mihi esse videbatur necessitas tanto magis casui nostro applicanda, quo in minus cognita gloriosi populi historia antiquior fidelitas mea diversas Regiminis revolutiones, licet meo sors intentui minus faventes, ut

 cri-

critici iudicant, reticere tamen mihi nequaquam permittet.

Taceo, quae hucusque dicta sunt Anno; diluvii 555. *Bannonem* primum in *Pannonia* regnasse, & Provinciae nomen dedisse, de quibus in tanta antiquitate nec minimum negare volo, quia nullus quidquam ea in re probare potuit. Dicitur tamen de illis *Darium Hystaspis* filium incolas sub Praefecto *Megabyzo* servituti suae subegisse, ac patria eduxisse captivos. Dum autem triennio post *Aristagoras Mileti* Tyrannus rebellaret, domi propriae rediisse. Postea *Amyntas Macedonum*, Rex infeliciter cum illis pugnavit, quod *Perdiccae Macedoni* nec foelicius contigit. Dum autem ob victoriam elatus *Bardyllus Pannonum* Dux *Macedoniam* sub *Philippo Rege* invadere auderet, post cladem satis infelicem vix pacem precario invenit; cum autem quinquennio post rebellaret, *Macedonum* ditioni subiectus est. Postea in *Alexandri* bellis benemeriti *Pannones* proprii iuris effecti, & libertatem suam adeo retinuere, quod *Sylla* cum edomitis *Scordiscis* pari delicto reos, pari vindicta castigandos *Pannones* censeret, tam turpiter ab ipsis reiectus fuerit, ut deinceps per longum tempus, qui consulatum apud *Romanos* inirent, *Pannonum* a bello abstinuerint. Suis igitur legibus hactenus viventes *Pannones Augusti* fortuna, ut caeteras orbis nationes Imperio *Romanorum* adiecit militante primum *Vibio*, postea *Tiberio Caes.* circa an. C. 9. *Galienus* eam *Superiori Pannonia* auxit; Sub *Probo* vineis consita, legionibus dua-

duabus ad *Constantinum* usque coërcita est. Exhaustam tandem peste, & praesidum tyrannide provinciam *Constantinus Vandalis*, qui a *Gothis* propriis fuere sedibus eiecti, inhabitare permisit. Circa A. C. 336. usque dum *Gothi* hos *Theodosio* Imperatore aegrotante, *Alatheo*, & *Safra* Ducibus expulissent, *Pannoniamque* icto cum *Gratiano* foedere possedissent. Versus A. C. 382. Tales fuere *Pannoniae* habitatores, antiquis *Paeonibus*, *Vandalis*, *Gothis* incolis, & *Romanis* dominatoribus permixti, dum *Hunni Pannoniam* occupantes, novae Monarchiae formam stabiliere. *Scytharum* populi qui *Hunnorum* appellabatur, ducibus suis *Bela*, *Keme*, *Kadicha* filiis *Chele* ex genere *Zemen*, & *Atthila*, *Kevve*, & *Buda* filiis *Bendeguz* de genere *Kadar* ingenti exercitu in Europam, totiesque a nobis nuncupatam Regionem intravere, ingentique, & ut plurimi dicunt, ultra 1000000. virorum exercitu invasit. Occurrit illis coacto quam celerrime *Romano* milite *Matrinus* dictae provinciae praeses, Praesidemque sibi vicinum e *Germania Tetricum Veronensem* suo Marte sibi socium accivit, ac novo hospiti occurrit. Aggreditur intempesta nocte *Romanos Scytharum* numerus, ac multa clade afficit, quod ad *Potentianam* urbem, *Theten* inter, & *Zazhalom* factum esse perhibent, vicissim autem in agro *Tharnockvvelg* persequentes *Hunni* a victis caesi sunt, & fugati *Danubium* renatantes ad sua castra rediere. Praeter eos qui in nocturno praelio ceciderant, quorum maxima erat copia, in secundo praelio *Romanis*,

nis, *Pannonis*, populisque sociis 210000. desiderata sunt; ex *Hunnis Keve* unus ducum cum 125000. occubuit. Neutris tamen clades haec duplex, & ambobus funesta satisfecit, usque dum prope *Thulnam* modo *Austriae*, olim *Hungariae* in novo conflictu, *Thetrico* in fronte sagitta saucio, vix cum paucis evadente, *Matrinus* innumera suorum multitudine occubuerit. Quam *Hungari* victoriam trium ducum *Bela*, *Keme*, *Kadicha*, & 40000. suorum morte emerunt. A quo tempore *Scythae* libere huic provinciae praeesse coeperunt, & penes illos interruptum Regimen, licet tam a *Romanis*, quam aliis populis saepius infestatum, ac quia longe a Patria distantibus, non satis celeriter necessarii succursus novaeque occumbentibus succedentes coloniae mitti poterant, arctioribus limitibus aliquando inclusum communi omnibus fere Regnis praetereunte calamitate inclusum, semper remansit, & nunquam derelictum, aut eius possessio, ut ex Historiae continuatione patebit, praedominante Tyrannide, vel eorum, quibus potestas erat, unanimi consensu fuerat dissolutum.

Sed nec Regius titulus novae *Hungaricae* a *Scythis* erectae Monarchiae defuit. A. C. enim secundum plurimos 401. post ingressum in *Pannoniam* 28. Imperii sede in *Sicambria* posita *Atthila* omnium consensu in primum novi solii Regem eligitur, qui postquam *Moesiam*, *Thraciam*, *Achaiam*, *Macedoniam*, & *Illyricum* suo copulavit Regimini, quid egerit, scriptoribus non indiget, ut vicinis notificet,

qui-

quibus sentire vim gladii sui in *Gallias* usque, *Germaniam*, & *Italiam*, quas duplici irruptione devastaverat, nulli ignotum esse reliquerit. *Atthilae* historiam non mihi mens est scribere, quae longiori volumine indigeret, sed Lectores ad *Bonfin. lib.* 1. *& seqq. Sambuc. App. Ritii de Reg. Hung; P. Callim. Att; Olah. Att. Sabellic; Io Herol. Chronol. Abr. Backsch. Chronol.* Licet antiquae nostrae historiae patres nostri pauca nobis scripta reliquerint, quibus digna aeternae memoriae patrare facinora magis conspicuum quam de exiguis multa scribere mos erat, tamen Regni nostri dictam epocham satis convenire audimus, quae exterorum auctorum chronicis non inconveniens est. Exteris enim potentia nostra sensibilis facta civitatum eversarum ruderibus signatam novi Regni Sanguinea Harpe transcripsit fundationem.

Solent in hunc *Attilae* Regiae inaugugurationis modum, & tempus plerique convenire, licet *Callimacus* in suo *Attila*, cuius historia plus tenebrarum, quam lucis undique habet, Chronologiam omnem subticendo factum hoc non solum aliter narrare, sed & absurdissimos de *Vnnorum* e *Satyris Faunis*, & *Alirumnis* magiae addictis foeminis, quae inter Scythas in solitudine trans *Maeotiden* e Castris nescio quare eiectae fuerint, generationis fortuitae fabulis novisque adeo commenmentis enarrare voluerit. *Buda* ab *Attila* occisus perhibetur, an autem post cladem in campis *Catalaunicis* perpessam, an a reduce ex Orientalibus in *Moesia*, & *Dacia* victoriis ne-

fcimus. Ratio ordinario annotari folet ob animum in fratris potentiam zelofum, fumpto ab urbe iuxta fe *Buda* nuncupata praetextu; Regnavit 44. annis, & mortuus eft iuxta communem computum A. C. 445. aetatis, ut vult *Olahus* contra *Sabellicum* difputans 124.; nocte, dum *Myckolth* Regis *Bactrianorum* filiam in uxorem duceret, ut *Bonfinius*, *Olahus*, *Backfchay* teftantur, quod de tam fene mirum effet, prae vini, & amoris furore fanguine copiofo e naribus, & faucibus exundante.

Defuncto *Attila* Imperium penes duos filios remanfit, quorum unus *Chaba* ex *Herriche* Graecorum Imperatoris *Honorii* filia, alter *Aladaricus* ex Matre *Kreinheiltz* filia Ducis *Bavariae*, hi Patre mortuo de Imperio decertabant. *Thetricus Veronenfis*, qui ab initio contra *Hunnos*, ut vidimus, pugnavit, poftea *Attilae* amiciffimus, non parum perfuafionis, ut Rex in Germaniam, & alias *Occidentis* Regiones devaftando irrumperet, contribuerat, & neptem ex eius forore uxorem duxerat, igitur princeps militiae *Hunnicae* fuerat, cum reliquis *Germanorum*, & aliarum exterarum nationum principibus, qui *Attilam* fequebantur, *Aladarico* utpote ex matre *Alemannica* genito adhaeferat. *Chaba* cum reliqua *Hunnorum*, omniumque *Orientalium* populorum parte illi occurrit, & acie collata in campis *Sicambricis* tanta utrinque per quindecim dies pugna durante clades effecta eft, ut externorum militum copia omnis occubuerit, & aquae *Potentianam*, inter,

&

& *Sicambriam* ſanguine mixtae fluxiſſe tradantur. Victor primum quidem extitit *Chaba*, poſtmodum autem *Tetrici Veronenſis* arte victus cum 60. fratribus, *Attilae* nothis, *Hungariam* relinquens in *Graeciam* ad *Honorium* avunculum ſuum aufugit, ubi poſtquam tredecim annis commoraſſet, in *Scythiam* reverſus traditur, ab aliis in *Graecia* peremptus dicitur. Triamillia horum profugorum in *Tranſylvaniam* ſeceſſerunt, ſeque, ne a *Tetrico Veronenſi* inſequerentur, *Siculos* dicebant, moreſque ab *Hunnis* diſcrepantes aſſumpſere, inter hos notum eſt proverbium, dum quemquam in remota diſcedentem aſſerere volunt non reverſurum: *Revertetur, ut Chaba ex Graecia in Hungariam Olah. Att.*

Hic eſt, qui aliis *Ernacus* dicitur, & quem, poſtquam tribus annis regnaſſet, civili bello, & fraterna diſcordia *Hungariam* deſerere coactum tradunt. Remanſere tamen *Aladarici Hunni* in *Hungaria*, primo enim de illorum expulſione, aut emigratione omnia ignoramus tanto magis, quo in *Iornandis reb. Get.* videmus *Ardaricum* Regem *Gepidarum*, ut illum hic autor vocat: (habuerat enim maiorem pedeſtrem exercitum, qui ex illis *Hunnorum*, qui inter *Daciam*, & *Sarmatiam* habitabant, & iuxta *Iſid.*, quia pedeſtri pugna alacres *Gepidi* dicebantur, & inviti reliquis *Hunnis* ſerviebant:) diſtributas quidem ſedes accepiſſe a *Romanis*, *Hunnorumque populum ſuas antiquas ſedes occupare*, *Gotthos a Romano Regno terras petere*. Non ergo *Hunni Pannoniae* poſſeſſionem unquam relinquere;

ſed

sed si illos etiam a *Gepidis* differentes facias, in ipso *Iornande Hunnos* in illa Imperii parte, quam *Illyricum* vocamus, ad castrum *Martenam* sedes suas incoluisse. *Ex quo Genere fuit Blivilas Dux Pentapolitauus, eiusque germanus Froilas, & nostri temporis Bessa Patricius*. Alii *Hunnorum* Duces *Emnezar*, & *Vzindur* Attilae consanguinei in *Dacia Ripensi*; *Vto*, & *Iscalmus* cum multo *Hunnorum* numero in *Romania* sedes fixerunt. Vides igitur *Hunnos* semel possessionem *Pannoniae* adeptos illam nunquam relinquere, licet angustioribus limitibus contenti meliorem usque occasionem, & suppetias ex *Scythia* contra *Gotthorum* crescentes copias expectassent, nec numerus illis forte erat sufficiens, ut Ducem nominare possent, qui universae *Hungariae Regis* titulum ferre valeret.

Potentiores *Ostrogothi*, licet nec illi universa *Pannoniae*, aut nec ab *Hunnis* residua possiderent, habebant enim, *Sciri*, *Satagarii*, & reliqui *Alanorum* sub Duce suo *Candace Scythiam minorem*, & *inferiorem Moesiam*; Item *Rugi*, aliaeque nonnullae nationes *Biozimatas*, *Scandiapolim*, aliqua *Illyrici* loca *Sarmatae*, & *Cemandri*. Ideo *Gothi*, ut horum potentissimi, qui nempe sub tribus fratribus *Walemiro*, quae inter *Scarniungam*, & *Aquam nigram* amnes erant, *Theodomiro* iuxta lacum *Pelsodis*, & *Widemiro*, quae inter utrosque iacebant, incoluere, Regem sibi *Walamirum* nominarunt, ita ut eius fratres divisa quidem sibi sub fratre loca, consilia tamen habuerint unita.

Wa-

Walamir primus igitur *Hungariae* ex *Osthrogothis* Rex in Annum AE. V. 460. incidit. Tantum tamen abest, quod ideo remanentes *Hunni* iuri, & possessioni cederent, aut renunciarent, ut cum aliquibus *Attilae* filiis (habuit enim hic ex concubinis multis nothos plurimos:) *Walamiro*, quod potuere, exercitu infeliciter tamen occurrerent, quia usque ad *Hunnivvar* fugere, ibique *Danubii* amnis fluenta praetermeare a victore *Walamiro* coacti sunt. Interim hic *Satagas* in *Hungaria* habitantes suo dominio subiicit. Sed & *Hunni* non destiterunt, Regem sibi *Dinzium* ex *Attilae* filiis constituunt, & cum *Wezinguribus*, *Angisciris*, *Bittugoribus*, *Bardoribus* subiectis sibi adhuc in *Hungaria* populis *Bassianam Pannoniae* civitatem aggrediuntur, circumvallant, finesque eius depraedantur. Quo audito *Gothi* expeditionem in *Satagas* solvunt, totaque belli mole se in *Hunnos* coniiciunt, illosque terris suis expellunt. Victis de novo numeri inaequalitate *Hunnis*, *Hunnimundum Sveviae* Regem sibi bellum inferentem ad lacum *Pelsodis* stravit, coepit, sed insigni misericordia motus non solum libertate, sed paterno amore donavit, qui tandem gratiae immemor *Sciras* in *Gothos* concitavit, ubi *Walamir*, dum suos ante aciem cohortaretur, ab equo perturbato infoelix sessor deiicitur, & mox inimicorum Lanceis conficitur. *Gothi* autem propriam iniuriam Regisque optimi mortem de *Scirorum* gente acerrime ulciscebantur, ita ut vix nisi pauci, qui ad dedecoris nomen superessent, vivi

re-

vi remanserint. Regnavit *Walamir* annis 4. occubuit ferme ad an. C. ut puto. 464.

Theudomir secundus ex *Ostrogothorum* dynastia in *Hungaria* Rex fratri *Walamiro* succedit, hic cum Rege *Hunnimundo*, & *Alarico*, *Suevis*, *Sarmatis*, *Sciris*, *Gepidis*, & *Rugis* foeliciter pugnavit, primos in *Germaniam* bello insecutus est, suamque, & fratris iniuriam illorum damno, & maxima devastatione vindicavit, sub hoc tertius fratrum *Widemirus Italiam*, & *Gallias* hasta, ferroque notavit, seque cum *Visigothis Hispanias* defendens univit. *Theudomir Sarmatas* ad *Savum* vincit, postea foedere cum *Romanis* inito in civitate *Cerras* aegritudine correptus moritur, an. Regni sui 11. AE. V. ut puto 472.

Theodoricus tertius ex *Ostrogothorum* prosapia *Hungariae* Rex a patre successioni deputatus *Theudomiro* succedit. Hic *Constantinopoli* educatus ubi in foederis securitatem puer ad Imperatoris aulam detinebatur sub *Walamiro* tam *Romanorum* quam *Gotthorum* animos gracili virtute capiebat, ita ut redux sub Patre suo eo inscio adctis sibi pene 6000. sequacibus e clientibus suis, & amicis *Danubium* transiens *Babai Sarmatarum* de *Romanis* sub illorum Duce *Camundo* victis tumentem straverit, ac ab iis ereptam *Romanis* civitatem *Singidonum* invaderit, sibique non primis possessoribus lucratus sit. Statim ac Patris morte Imperio *Pannonico* potitur, *Zenonis* Augusti pellectus humanitate *Constantinopolim* venit, ubi non solum *Civis Romani* illi honor decernitur, sed etiam ab Imperatore adopta-

ptatus, Consulatu, & equestri statua donatur. Interim *Odoacer Occidentale* invadit Imperium, *Theodoricus* Romani Imperatoris nomine se illis opponit, tyrannum foeliciter sternit, ex eius manu commendatum sibi ab Imperatore *Romanum populum*, *Senatumque* excidio ovans *Rex Gentium*, & *Consul Romanus* salvavit, *Hungaricumque* Imperium *Regum Romanorum* insignia, & principatum, assumens *Gothorum* Regnator prima vice stabilivit, ac plusquam triginta annis prudenter, & pacifice continuit. Inter alias complures, quas habuit, filias *Amaseluntham Eutharico Wifferichi* filio, *Beremundi*, & *Torresmundi* nepoti de stirpe *Amalorum* in *Hispania* matrimonio copulavit, ex qua natus *Athalaricus* a Rege in senectute sua post patris mortem in Regem denunciatur, postquam iuxta *Iornand. de Reb. Get.*, *&* *Regn. Succ.* Regnasset 30. annis, iuxta *Io: Herold. Chronol. Hung.* 51. alios 48. ut igitur 515. 523. aut 526. mortuus esset, quod hic nostrum non est disputare, qui tantum de antiqua successione agimus. *Athalaricus* quartus ex *Ostrogothorum* dynastia Rex *Hungariae* avo *Theodorico* succedit, & postquam praematura morte surripitur octavo Regni anno infans, qui *Amalesunthae* Matris auxilio regebat, extinguitur facile circa annum C. 523. si ultimorum computum sequeris. 526. iustissime credo cum *Sigeberto*. A. C. 531. sub cuius Regno praelium inter Regem *Gepidarum* nomine *Thurismodum*, & *Audobinum* Regem *Longobardorum* A. C. 526. extitisse videmus, victoria ultimorum, & *Pan-*

noniae

noniae A. C. 528. ab *Audobino*, & *Longobardis* incoepta inhabitatione.

Mortuo *Athalarico* ab *Amalesuntha* matre *Theodatus* consobrinus eius germanitatis gratia ad Regnum vocatur, qui beneficii omnis immemor eam post modicum temporis in insulam laci *Bulsinienśis* relegavit, ubi in balneo a satellitibus strangulata est, A. C. 533. quo audito *Iustinianus* Imperator sub *Belisario* Duce exercitum in eum dirigere iubet, sed hic anno post a propriis interfectus est, & armigerum suum *Witigem* habuit successorem, qui autem eodem anno Romanis se, & sua dedidit.

Iam vidimus cum *Gothorum* occasu *Longobardos* in *Hungariam* intrare, sibique *Gepidarum*, qui cum *Gothis* semper coniuncti fuerant, excidio ad *Hungaricum* Imperium viam praeparare. Videamus, quid interim *Hunni* egerint.

Postquam a *Walamiro* C. 460. sub Rege suo *Dinzicho* magnam perpessi sunt cladem, Gothorum se noviter armis exponere ob nimiam debilitatem non ausere. Regnaverunt quidem, ut ait *Sigebertus Gembl.* sed non in priori fortitudine, ob Regnum suum tum ex gentium subiectarum dissensione, tum ex pugnandi infelicitate. Post filios *Attilae*, quorum pauca ad nos nomina ob scriptorum in ea gente nil nisi Scythica feritate praedita defectum pervenere, Regnavit *Zeliobes*, qui nulla alia re, quam moto in Iustinum bello. *Procop. bel. Pers.*; *Bonfin. Annal.*; *Sigebert. Chron.*; memorabilis A. C. 250. Nam Bello orto inter *Romanos*, & *Persas Chuades* Rex *Per-*

Persarum Zeliobem Regem *Hunnorum* venientem cum viginti millibus auxiliari sibi contra *Romanos* immisso exercitu occidit, & totum pene eius exercitum delevit, suspectum eum habens, quod utrinque munera acceperit, & a se contra Romanos, & a Romanis contra se. Huic mortuo successit *Avarius*, de quo sequenti Dissertatione.

Interim nec *Hungaricum* Imperium a Regibus sub Regio titulo moderari cessavit, nec *Hungaros*, aut *Hunnos* hucusque, licet divisis Provinciis suis iuribus cessisse, aut quantum potuere, & belli illis revolutiones permisere, invigilasse, quorum non minimis partibus principatus exstiterant, vidimus. Narrat enim nobis *Procopius lib. 1. de bell. Pers.* de quibusdam eorum ad *Mare Caspium* degentibus, quos a nostris diversos statuit. In eodem libro alio loco *Iustino* Augusto per *Probum Anastasii* Imperatoris Nepotem *Hunnorum* nationes, ut *Iberis* contra *Persas* succurrere velint, rogatas perhibet, quibus omnia intra *Chersonesum* subiecta esse tradit. Legimus etiam in eo multos alios huius nominis principatus, ut Regem *Aribazuten*, quae omnia, quia scriptorum egestas huic populo fuit maxima, ad nihil aliud, quam ad illud probandum deservit, populum *Hunnorum* angustiori etiam potestati inclusum Regiam nec potestatem amisisse, neque ditionibus, & iuribus *Pannoniae* cessisse, ut futura hebdomada plura eius nobis monumenta testabuntur.

DISSERTATIO XIII.

Continuatio Antiquitatis Hungaricae a Zeliobe usque ad S. Stephanum.





Na frequentissimarum obiectionum, quae ab adversariis nostris continuationi Imperii *Hungarici* opponuntur, esse solet, *Hunnorum* non amplius, sed *Avarum* nomen in historiis legi, *Avares* ab *Hunnis* diversos esse, & quae talia inexpertae criticae sunt figmenta. Non male igitur aliqua de *Avaribus* praenotanda sunt.

Zeliobe a *Chvade* Rege *Persarum* necato, succedit, *Avarius*, ut *Bonfinius*, *Heroldus* omniaque Chronica nostra notarunt, tunc se *Hunnorum* nomen exosi a Rege *Avario Avares* nuncupavere. Quis scit, an non superstitiosus populus calamitates suas, pugnarumque infoelicitates nomini potius, quam inimicorum multitudini attribuerit, sicque sub alia appellatione se fortunatiorem esse speravit. Saltem odium, quo a tot nationibus ob incursiones suas persequebantur, evitare conati sunt novi *Avares*; cuius nobis non primum in *Hunnis* extat exemplum, sed ego ipse per 3000. eorum, qui post *Chabae* fugam se in *Siculos* mutato nomine in *Transylvaniam* rece-

pere, in ultima Differtatione praebui monumentum, de quorum immunitatibus, & sedibus in comitatus, *Czick*, *Gyrgyo*, *Kyfdy*, *Orbay*, & alios divifis, eorumque capitaneis, quos *Lofyfeckel* vocant, *vid. Olah. Attil. Avares* autem eofdem cum *Hunnis* effe, videmus ex omnibus, quae nobis extant, antiquis Chronicis, & manufcriptis, fic *Witticbindus Monachus Corbeiens. Annal. ad an.* 973. *Dalamanti conduxerunt adverfus eum Avaros, quos modo Vngaros vocamus, gentem bello afperrimam; & l.* I. *Ann. &* III. eofdem modo *Avaros*, modo *Hungaros* appellat; Et *Rofvvitha Monacha Ganderfheimenfis de Henrico Boioariae* Duce Ott. M. fratre. *Avarefque per hunc faevi faepiffimi victi; & Dittmarus Merfep. Epifcopus l.* II. *Cbron. Ecce iterum Avares, id eft, Vngari adverfum nos arma commoverant*. Et *Annal. Fuldenf. vetuft. ad ann.* 896. *&* 900. *Avari qui dicuntur Vngari tota devaftata Italia regreffi funt*, Item: *Pacem Graeci eodem anno cum Avaris, qui dicuntur Vngari, facientes*; Qui modo *Avares*, modo *Abares* fcribuntur, ut *Victor Thununenfis Epifcopus*; *Theodulfus*, *Ifidorus*, *Iobaannes Biclarenfis*, *de Laudib. Berengar. Aug.* Variis locis.

Quod deformis Abar, Pannonicufque Gipes.
It. *Ac labor eft faevis gladios praetendere Abaris*.
It. *Vngrorum cupit in fauftos efferre fagittas*.

Avarium ergo, quem primum *Hunnorum Avarum* nomine Regem perhibuimus 29. annis regnaffe vult *Heroldus*. *Chron.* eique fucceffiffe *Caganum*, neque huius annos decernit. Omnes enim Hunnorum Reges *Caganos* nomi-

minatos cernimus quod non proprium nomen, sed Regiminis est appellatio, ideo nullos ex iis aliter, quam *Caganos* in historiis, nec, quantum quisque regnaverit, agnoscere possumus, & non nisi primum ob immutatum ab illo *Hunnorum* in *Avares* adpellationem *Avarium* vocatum esse novimus. Sic *Paul. Warnefr. lib. IV. cap. 39. de gest. Longob. Rex Avarorum, quem sua lingua Caganum adpellant*, & *Sigeb. Gembl. Chron. ad an. 520. Ab hinc Regnum Hunnorum annotare cessabo, quia omnes gentis illius Reges Caganos vocatos lego*. Sic *Anon. Salern. Chron. Chaganum vero non Praelatum Avarorum, Cazarorum, aut Normannorum nuncupari reperimus, neque Principem Bulgarorum, sed Regem, & Dominum Bulgarorum*. Ita ut iste *Cagani* titulus in illis Orientalibus populis eo tempore Regem semper denotare videamus.

Caganus, aut *Caanus* latina terminatione sunt, quod in *Illyricis*, *Scythicis*, hodie *Tartaricis* legimus *Cham*, aut *Chan*. idest *Imperator*, aut *Rex*, sic *Vincentius Belvac. lib. 31. cap. 10. Quem etiam Can, idest Imperatorem adpellabant*; *Caanus* dicitur in epist. *Quodblexi* Imperatoris *Tartarici* in *Annal. Eccles. A. C. 1278. num. 20. Oderici Reinald. Chanis*, seu *Hanis*; *Leuncladius in Pandectae Turc. num. 3. Sic Gregorius Turon. lib. 4. cap. 26. & 27. & 28. Sed & Rex Hunnorum, vocabatur autem Caganus: omnes enim Reges gentis illius hoc adpellantur nomine*. Apud *Sigebertum* plures occurrere videbimus. Eo etiam ubique utuntur *Paulus Diaconus*, *Theophanes*, *Zonaras*, *Cedrenus*, aliique Scriptores *Byzantini*.

Postquam, quid *Avares?* quid *Cagani?* ex dictis stabilitum sit, oportet, ut aliquam de *Caganorum* historia notitiam adferamus. *Avares* sub dicto *Avario* Coloniam in *Noricum* mittunt, ubi ex *Boiorum*, & *Avarum* coniunctione *Boiovariam*, postea *Bavariam* vocatam legimus. *Bonf. Dec. I. lib. 8.* Interim *Longobardorum* potentia *Gothorum* eversioni succedens Regium titulum in eorum relicta *Hungaria* sub *Andoino* assumit, & *Longobardorum* dynastiam in illa regione incoepit, *Gepidis* semper magis invalescens ope *Avarum*, qui ei non tantum in hos, sed & in alios hostes foedere percusso astiterunt. *Andoinus* in Chronicis *Vngaricis* 17. annis regnasse perhibetur, quos ab *Athalarico* computandos censeo, nam de *Theodato*, & aliis *Ostrogothis* nec amplius mentio. *Io. Herol. Chronol.* succedit filius *Alboinus* patri mortuo, qui optimus semper *Avarum* extitit confoederatus, qui in *Pannonia* 25. annis sua in parte regnavit, donec a *Narsete* in Italiam vocatus totam *Hungariam* amicis *Hunnis*, aut *Avaribus* cessisset. Antea autem *Gepidarum* Regnum circa A. C. 547. conserto cum *Longobardis* praelio per *Chunimundi Gepidarum* Regis necem destruitur, & sociis *Avaribus* in eos irruentibus funditus evertitur.

A. C. 566. *Longobardi* sub Rege *Alboino* a *Narsete* in *Italiam* evocati integram *Hungariam* sociis *Avaribus* reliquere, pacto ut, si in *Italiam* habitaculum sibi occupare nequeant, pristinas in *Hungaria* sedes ab *Hunnis*, aut *Avaribus* reciperent. A. C. 567. igitur *Hunni* iterum totius Imperii *Hungarici* Domini exstitere.

A. C.

A. C. 569. nostri sub *Sigeberto Franciam* invadunt, sed in *Thuringia* repressi; *Sigebertus Gemblacensis* autem in Chronico annum 567. sed cum S. *Gregorio Turonensi* non optime convenientem statuit.

A. C. 571. Redit post duos annos *Caganus*, & *Sigebertum Francorum* Regem multa victoria affligit, quod *Franci* iuxta illorum temporum consuetudinem magicis artibus attribuerant; ac exinde adeo perterriti fuerunt, ut se haud novis praeliis committere auderent, sed ingenti auri copia libertatem Regni redimere, illisque victum, omniaque necessaria pro reditu in patriam suppeditare deberent. Quo contenti *Hunni* per *Sigeberti* dies eam non amplius invaserunt. *S. Gregor. Turon. lib.* 4. *cap.* 23. *v.* 27.; *Aimoin lib.* 3. *cap.* 6. *v.* 11.; *Sigeb. Gem. Chron. ad an.* 571. *Bonf. loc. sup. cit.* Quae pax & *Longobardos* amicos *Hunnorum* includere debuisset, cuius *Hunni* moderatores, & mediatores extitere. *Eodem etiam tempore perpetuum cum Longobardis, & Avaribus ictum foedus, missis quoque a Cagano Avarum Rege in Gallias legatis, qui earum Regibus significarent, ut veluti cum Avaribus, ita cum Longobardis pacem fieri oportere iudicarent. Bonf. loc. cit.*

Interea Longobardi cum Avaribus, & Slavis Istriam ingressi, igne ferroque omnia vastavere. Id. Ibid.

A. C. 592. Sed secundum *Sigeb. Gemblac. Chron.* male; 594. *Caganus* cum *Mauritio* Imperatore pacem solvit, prudenti oratione *Theodori Medici* placatus; Sed non longe post, *Prisci* Ducis imprudentia, & venatione offensus A. C. 594. *Romanorum* exercitum in-

 gen-

genti clade afficit; plurimorum captivorum numero abducto, quos dum Imperator redimere nollet, & *Caganus* a *Prisco* Duce ipse cladem sustinuisset, Imperium *Phocae* Tyrannide perdidit, & captivi obtruncati sunt. Postmodum etiam contra *Phocam Caganus* bellum parat, sed maiori illi tributo concesso denuo repressus est, novaque in *Constantinopolin Heraclio* ibidem Imperante infructuosa molimina tentat, quae omnia in annos 595. 598. 601. 609. 612. incidunt vid. *Bonfin. lib. cit.*; *Niceph. lib.* 18. & 19.

Interim adhuc amicitia cum *Longobardis* substiterat, quia *Agilulphus fabricandarum navium artifices ad Caganum Avarum, Vnnorumve Ducem miserat, quibus quandam in Thracia Insulam expugnavit* ita. *Bonfin. lib. saepius cit.* *Paul Diac. de gest. long. lib.* 4. *c.* 21. Quantum autem haec unio duraverit cum *Longobardis* videbimus. A. C. 512. *Caganus* in *Venetiarum* fines ingressus est, innumerabili multitudine *Gisulphum Foroiulianum*, Ducem cum *Longobardis* sibi occurrentem fere cum omnibus suis extinxit, reliquis se in munitissimis *Foroiuliani* castri muris se tuentibus; Incluse re se ibi uxor eius *Romilda* cum filiis, & filiabus universaque *Gisulphi* substantia, *Romilda Caganum* circum moenia equitantem conspiciens eius forma, & iuventute ita capta est, ut nuntiis ad illum missis, si se in uxorem assumere vellet, arcem Regi tradituram cum omnibus promitteret. Acceptavit *Caganus* pactum, illamque tradita arce, ubi viros omnes caecidit, foeminas, & pueros captivitati dicavit, solis *Gisulphi* filiis aufugien-

tibus, sibi una nocte quasi in uxorem accipiens iunxit, postea duodecim *Avarum* libidini vexandam tradidit, tamdem palo configi praecepit, & non nisi ingenti praeda populo necato, & abducto *Forum Iulii* reliquit. *Lupo* Duce postea in *Grimoaldum* cum *Foroiulianis* rebellante, hic ut suis in bello civili parceret, *Caganum Avarum* Regem denuo invitavit, ut *Foroiulianos* caederet, nec mora, advenit *Hunnus*, & licet se per quatuor dies *Lupus* victor defendisset, tandem occumbit, totaque provincia ab *Avaribus* depraedatur, quo facto Grimoaldus illi, ut denuo post sufficienter punitum *Forum Iulii* commissione functi ad propria rediret, praecipit, sed ille se Regionem, quam propriis armis aqquisivissent, reddere nolle superbe respondet. Coactus *Grimoaldus* exercitum in illos movet, quem diverso habitu ante illos saepius transire fecit, hocque stratagemmate credentes illum novam aliorum populorum accretionem accepisse, Regione cedunt. *Paul. Diac. de Gestis. Longob. lib. 4. cap. 38. & lib. 5. cap. 18. 19. 20. & 21.; Sabellic. lib. 6. Bonfin. l. saep. cit.*

Scimus postea *Luitprandum* Regem *Longobardorum* ambos *Francos*, & *Avaros* aequali sollicitudine sibi amicos conservasse. *Francorum pacem, & Avarum, quos Vnnos quoque dicimus, amicitiam diligentissime servavit. Bonfin. lib. cit. in fin.*

Narravimus praecedenti Dissertatione *Chabam Attilae* filium perpessa clade in *Graeciam* fugisse, postea, ut aliqui tradunt, in *Scythiam* unius fere anni tempore rediisse, nondum mor-

 tuus

tuus erat eius avus *Bendeguz*, sed senio maximo misere confectus vivebat, sit fides penes antiqua *Hungariae* Chronica. Huius consilio ducit *Chaba* uxorem ex vicina *Chorosmannorum* gente, & de hac duos *Edemen*, & *Ed* suscipit filios, memorque fertilitatis Regni *Hungariae* eos admonet, ut, dum aetate liceret, novis eam suae gentis compositis viribus recuperarent, quod consilium eius posteri postea ita secuti sunt, ut sub *Almo*, qui sex se aliis iunxit capitaneis, eam noviter, septem agminibus intraret. Erant autem horum nomina. *Primus: Arpad.* filius *Almi*, hic enim moritur ante transitum confiniorum, *Almus* filius *Elendi*, filii *Vgek*, filii *Ed*, filii *Chabaz*, filii *Attilae*; licet Chronica antiqua in fabuloso *Attilae* titulo forte fundata reliquam Regis Genealogiam usque ad *Nembroth*, & ultra protendant, hanc quacunque sit traditione fulcitam inter aniles fabulas, quae sanae crisis ignem sustinere nequeunt, reiicio, & nullam aliam, quam eam, quam attuli, & quae non tantum ex historiae circumstantiis non inconveniens videtur, sed & potius a Chronicorum nostrorum antiquis scriptoribus non ita remota traditione scire, aut ad eos usque propagari potuit, Lectori amplectendam propono; *Secundus:* fuit *Zabolch*, a quo comitatum *Zabolch* denominari volunt; *Tertius: Gyula*, unde antiqua, & illustris *Giulay* prosapia portendit originem; *Quartus: Kerend*, hinc nobilissima vetustatis gloria *Kendiorum* prosapia deducitur. *Quintus: Sekel*; *Sextus: Verbulch*; *Septimus Wrs*; Consederunt illi primum

mum

mum in *Transylvania*, quae in hodiernum usque diem a positis ibi septem castris *Sibenburg* dicitur. Primus illis occurrit *Suathes* Dux *Sarmatarum*, quos aliquam Regionis partem inhabitasse sub propriis Ducibus ultima Dissertatione tradidi, sed a novis *Hungaris* ad internecionem usque prosternitur. Hac victoria potiti cum reliquis a Prima *Keve* colonia, *Hunnis*, & iis, qui ab *Avario*, ut diximus *Avares* dicti sunt, pristinae gloriae, & eiusdem originis memores eundem populum efficiunt, unamque statuunt Rempublicam, Regiones quidem occupatas inter suos Duces dividunt, uno tamen *Scytharum* more Imperii summam tenente. Contigit hoc A. C. 744. *Bonfin. dec.* 1. *lib.* 9.; *Olah. Atth. ad fin.*; *Chron. Herold.* De hac Epocha ita convenimus est, & ita abinde *Hungaricae* securitas n b s successionis, ut *Petavius* ipse, licet *Gallus* abinde *Hungariae* voluerit initium statuisse.

Non est, ut vidimus hucusque ante hoc tempus aut in *Hungaria* non regnatum fuisse aut eundem populum *Scytharum*, *Hunnos* videlicet hoc non potitum fuisse imperio, sed quia *Hungarorum* nomine eos non ante insignitos vidimus; Ratio mihi ea videtur. Postquam *Hunni* tam crudeliter ab omnibus, & propriis, & circa circum populis post *Attilae* mortem afflicti fuissent; ut pars in *Scythiam* rediret; pars nomen in *Siculos*, ad evitandas persecutiones mutassent; aliis eorum paulo post se ita recolligentibus, ut proprios Reges prout *Zeliorbem* habuisse indubitatum sit; Viderunt autem *Hunni* residui, a *Zeliorbis*

exem-

exemplo, quantum *Hunnicum* ubique nomen exosum sit, ut ab ipsis, in quorum auxilium occurrerunt *Persis* inermiter trucidarentur, non potuere ergo satius, quam dictorum *Siculorum* arripere consilium, & sub eius successore *Avario* nomen quasi novus populus essent, mutare, nec spe sua fraudati sunt, nam quos sub *Hunnorum* nomine undique persecutos, & infoeliciter necatos conspeximus, nunc sub *Avarum* vocis integumento, in omnia foedera susceptos, & ita postea *Caganorum* suorum militari virtute excrescere videmus, ut brevi tempore tributarium sibi *Graecum* Imperium facerent, legesque *Francis* aliisque *Occidentalibus* populis saepius darent, & non nisi ingenti pondere auri emptam precario pacem conluderent. Veniente hac iterata ex *Scythicis* plagis colonia novorum *Hunnorum*, qui devictis *Sarmatis* omnes fere *Pannonicas* terras possident, ac inter se dividunt, se cum illis, quos sub *Avarum* denominatione eiusdem tamen originis esse invenerant, commiscent, ac se inde ex amborum, confusione *Hunnoavaros*, idest. *Hunvvares*, & consueta in Oriente *W*. in *g*. permutatione *Hungaros* nominare debuerunt. Confirmant nostram sententiam, omnium antiquorum Chronicorum monumenta, qui *Avaros*, & *Hunnos* eosdem esse voluere. Praebuere enim illi tam clara moribus suis se *Hunnos* esse documenta, ut omnes undique populi, ex qua *Scythica* origine illi advenissent, exitio suo experti fuerint; Nec dubito, illos sub *Caganis* suis, sub quibus illi in tantam excrevere potentiam, quae se a tot *Augustis* timere se-

fecit, quae a *Longobardorum* Imperio in ipsa *Italia* formidabatur, *Franciae* non tremenda tantum sed & plusquam naturalis apparuit, se ob eandem rationem, ob quam se *Avaros* dicebant, iam *Hunnos* esse non amplius negasse; Creverat enim adeo illorum potentia, ut finitimarum gentium, quod formidarent, non amplius habuissent; Nomen tamen *Avarum*, quod sibi a Rege *Avario* adsciverant, & sub quo tam gloriose *Hunnorum* reparavere ruinas, ob acquisitam ei gloriam, non prius, nisi dum illud cum novis *Hunnis* miscerent, relinquere indignum sibi, aut minus decorum putarent. Ideo eos tum *Hunnos*, tum *Avaros*, tum *Hungaros* adpellatos in omnibus antiquis Codicibus legimus, quibus hae mutationes, eorumque rationes, ut illis proximius viventibus minus mirabile, magisque notum extiterat. Nec ulla in re mihi repugnat, quaecumque in vita *Caroli M.* tum de eius insigni ab *Avaribus*, aut *Hunnis* victoria, tum de legatione *Aquisgrani* suscepta traduntur.

Eginhardus de vita Carol. M. Ingentem huius Imperatoris, victoriam tanta exageratione descripsit, ut inter fabulosas *Romanenses*, ut vulgo vocantur, cantiones non hoc tantum, sed pluribus titulis computari mereatur, & nil quam *Rhytmus*, ne Heroum *Hispano-Arabum* cantilenae dicantur, deesse saepius videatur. Dicit ille enim: *in hoc bello omnem Hunnorum nobilitatem periisse, totam gloriam decidisse; dicit* praeterea; *tantum sanguinis in eo effusum esse, ut tota Pannonia omni habitatore vacua remanserit, locusque, in quo Cagani regia erat, ita desertus remanserit, ut ne* ve-

vestigium quidam humanae habitationis apparuerit. O! digna potius *Burdegalensibus* Thrasonibus quam contemporanei *Germani* historici allegoria! Hoc *Caroli M.* bellum sin etiam iuxta *Sigefrid. Chron.*, quod ordinario aeras omnes aliquot annis antevertere; quam de tarditate temporum errare solet; ad A. C. 791. ponitur; Vt ergo veritatem a fabula separemus, oportet, ut non insignem *Caroli* ab *Hunnis* sibi adeptam gloriam fors etiam internecione totali alicuius Ducum negemus, quos & *Caganos* appellare solebant, ut adhuc mos est in *Tartaria*, & *Scytharum* populis, ubi feudatarius Princeps alicuius parvae Regionis etiam *Cham* dicitur, ita ut ad distinctionem supremi illorum Regis, qui his tributariis Regulis praeest, *Magnum Cam* dicere soleamus; ad quod confirmandum plura postea narrationis nostrae decursu legemus. Si enim tota *Pannonia* ita depopulata est, ut nec humanae quidem circa ipsam Regiam habitationis vestigium videatur; quomodo iam intra novem annos tam potentes deveniunt, ut non exiguum *Boioariae* Ducem *Gerardum* vincant, & perimant. A. C. 800. iuxta idem *Chronicon*, & omnes *annal. Boioar. Script.* Sin vero, quod iustius est credendum, *Carolo* non *Francorum* Rege, sed dum Romanorum Imrator iam *Italiae*, & *Germaniae* ditionibus *Augustus* potiretur. A. C. 804. secundoque eius bello in *Hunnos* agamus, quid aequius statuemus. Si enim *Franci* *Avaribus* solis congredi non amplius auderent, postquam tam turpem terrorem superstitiosi magiae nota hostibus inusta cooperire tentassent, quomodo

modo ii soli *Avaribus* modo cum nova Colonia *Scytharum* tam insigniter confortatis congredi praesument. Dicendum ergo est, cum uno particularium *Caganorum*, aut Regulorum *Francis* bellum primum fuisse, secundum vero *Imperatori Romanorum*, qui *Italicae* gloriae, haeredem sibi *Franciae* coronam, & populorum *Germanicorum* demum insignibus victoriis coniungens potentissimus evaserat, cum toto *Hungarorum* Imperio rem gloriosam fuisse, & magno horum excidio, immensaque auri, & argenti a *Carolo* facta praeda finivisse nunquam dubitaverim. Quomodo enim intra tam paucos annos in tam longinquam irruptionem excurrendi potentia illis fuisset, quomodo populus, cuius nec amplius vestigium extitit. A. C. 896. secundum Auctorem *Annal. Fuldens. vetust. ad dict. an. Avares, qui dicuntur Vngari, tota devastata Italia regressi sunt.* A C. 900. iuxta eundem quod confirmat. *Chronicon Monast. Benevevent. ad an. Hungari in Italiam veniunt;* & *Tristan. Calch. Mediol. Hist. Patr. lib. 3. ad fin. Quorum contentionibus exciti Hungari fines Longobardorum invadunt &c.* Si *Hungari* nullo Duce, Rege nullo *Franciae* potestati suberant ad *Arnulphum* usque, quomodo postea, qui antea iam nulli erant, tantae se ostendunt potestatis, unde populorum tantorum subiectio? non venit illis nova amplius Scythiae Colonia; Nec ita deleti intra 150. annos, ad S. *Stephanum* usque loquor, crescere possunt si etiam 5. generationes intra hoc tempus effingas cuique paucorum, qui residui erant, si cuilibet generationi 5. semper militares viros, spero enim

enim te foeminas his non annumerare, vel mortuos, nec nullis in infantia relictis omnes in virilem computum subito educere. Quis illos sui iuri effecit, aut qua Revolutione in novum Regnum evaserunt? Si enim destructi, & subiecti. Quomodo tot exercitibus, tot incursionibus suffecerunt, quas in *Italiam*, in *Germaniam* provincias Imperio subiacentes factas legimus; Aut quis unquam somniavit, si etiam *Tartaros* ut potentiae *Ottomannicae* exemplum adducas, aut *Arabes* tributarios, tales populos, qui, quod plus est, non aliud, quod vivant, habent, non fertilissimam Regionem, ut *Hungari*, in proprii domini non desertam, non longinquam a praesidiis provinciam incurrere; Incurrunt Rebelles aliqui Tyranni Regnandi cupidine, ubi sedem figere capiunt, sed non devastant, nisi aliena, nec si tam inermes, si nulli, si sine Duce, sine capite, si inglorii, si subditi, Regem suum impune vexant, ut *Hungari* semper patrarunt. *Annal. Bertin. A. C.* 900. Ludovico III. Imperatore. *Interim vero Avari, qui dicuntur Ungari, tota devastata Italia, ita ut occisis Episcopis quam plurimis Italici contra eos depellere molientes, in uno praelio uno die ceciderint* 20000. Non exigui momenti debuit esse exercitus, qui *Italorum* tot in uno conflictu cedit. Hinc postea aliis cum *Boiovarico Regno* est bellum; & ut in eodem Chronico leges: *maximo exercitu ultra Anseum fluvium Regnum Boiaricum hostiliter invaserunt, ita ut per quinquaginta milliaria in longum, & in transversum igne, & gladio cuncta caedendo, & devastando iam*

una

una die prostraverint. Vngari *cum his*, *quae depraedaverunt*, *redierunt*, *unde venerunt*, *ad sua*. Magnum se facinus patrasse crediderunt, miraculoque, ut volunt, simillimum, si 1200. *Vngarorum Boiovarii* occiderint. Nec ab Imperio, & *Carolingis* de non minimo *inglorioforum subditorum* attentato vindictam nostrorum deletione sumptam video. Nam docet me *Andr. Dandul. Chron. part.* 31. 32. 33. A C. 906. venisse *Hungaros* in Italiam, eamque denuo devastasse; postquam hi maximam hominum multitudinem interfecissent, nonnullos captivos reservassent, *Berengarius* Rex exercitum 15000. virorum in eos direxit, totumque ferme perdidit. *Hungari vero pertranseuntes Tarvisium*, *Patavium*, *Brixiam*, *ceterosque fines*, *Papiam*, *& Mediolanum venerunt*, *& usque ad montem Iob depopulantes cuncta*, *Venetiae* ingressi *Civitatem novam*, *Equilum*, *Caput Ageris*, & littora maris concremarunt, sola se *Albiola* defendente, persecutione hac in Italia per annum integrum perdurante. Vide, quam demum ultionem *inglorii fine Duce aut capite Francicae gentis subditi* senserint? *Rex igitur Berengarius datis obsidibus ac donis praedictos Hungaros retrocedere fecit cum omni praeda*, *quam fecerant*. *Ibid.*; Iterum *Alberico Marchione* ob intervenientem Papa *Iohanne* X. discordiam Vrbe expulso, *Hungari* ab illo vocati in *Italiam* veniunt, & *Romam* usque postea per annos singulos cuncta depopulantur sola se *Brixiensium* civitate acriter propugnante. A. C. 934. *Iac. Malvec. Chron. dist.* 6. *cap.* 3. *&* 5. *& Ptolom. Lucen. Hist. Eccles. lib.* 17. *c* 2. Incoeperunt autem haec post A. C. 915.

Sed

Sed Italia non contenti *Bohemiam*, *Moraviam*, devastant ultra *Castrum Leapoli* Ducem *Moraviae Gottifredum*, & *Hardum Aquileiensem* sibi occurrentes in conflictu perimunt, *Croatiam*, & *Styriam*, postea *Bulgariam* spoliant, usque dum ab *Henrico* glorioso ad *Metisbruth* conflictu devastata iam etiam *Francia*, *Alsatia*, & *Alemannia* vincantur, & redire cogantur. *Andr. Dandul. Chron. cap.* 10. *part.* 10. *&* 14. Alia demum est irruptis de qua *Chronic. Mont. Cassin. ad an.* 937. *Vngari in Capuam irrumpunt, ac a Marsis, & Pelignis victi*, & *Witichind. in eund. an. Vngari Alemanniam, & Galliam usque Oceanum Burgundiamque devastantes per Italiam redierunt*. Quod *Herman. Contract. in eund. an.* confirmat, & *Lupus Protest. in Chron. an.* 936. ac *Barensis* 936. *indict.* 9. *venerunt Vngari in Capuam*. Quod iter post duos annos repetunt ut *Lupus*, *Prot spatha de ann.* 939. *&* 940. testatur quod etiam de an. C. 943. *Chronic. Vulturn.* iterum factum fuisse affirmat. De iis etiam similiter loquitur *Witichind. Corbei. Monach. annal. ad an.* 973. Cessant postea Barbarae, ut vocant, gentis nostrae incursiones, quia Baptizato Duce *Geycza* primo *Christiano Hungarorum* moderatore, filioque eius S. *Stephano* nova Religio eas non tam libere, ut modernis Christianis non permisit. Natus est enim S. *Stephanus* I. filius *Geyzae Strigonii*, & a S. *Adalberto* Antistite *Pragensi*, & *Adeodato* Comite de sacro fonte levatus A. C. 969. Tam *Geysza*, quam *Stephanus* omnem ad totalem populorum suorum conversionem curam impenderunt, quam etiam usque ad A. C. ferme 989. consecuti sunt.

DIS-

DISSERTATIO XIV.

Defensio Regni Apostolici contra ea, quae de eius interruptione dicuntur.





Iam satis de iis, quae Gentiles *Hunni*, *Avares*, & *Hungari*, quos eosdem esse novimus, in universa poene *Europa* incursionibus suis egerunt, actum est, ut modo pauca de eius conversione agendo illam, quam de antiquitate Regni *Apostolici* disputationem suscepimus, finire hebdomade praesenti, aut concludere valeamus.

Voluit Divina providentia, ut Regnum nostrum, quod illa, dum paganum erat, flagellum Dei esse iussit, Catholica mutatum fide eadem fortitudine Christianitatis contra infideles fiat antemurale, nec voluit alterius se stirpis servire, ad secundum exequendum, quam cuius illa se servierat, ad primum perpetrandum. *Attila* potens ille *Hunnorum* Rex in *Chaba* profugo secundae, ut diximus *Hungarorum* coloniae semina reliquit, cuius *Almus*, qui sex sociis ducibus *Hungariam* intravit, dignus successor extitit; Hic genuit *Arpad*, ex quo *Zultan*, ex quo *Toxis*, ex quo *Geycza*, ex quo *Stephanus*.

Tantus S. *Stephani* fervor fuerat, ut ille non solum Regnum suum Pontificiae protectioni, Religionis ostendendae gratia commendaret, sed qui more nostro electione, quae sola aut ius in Regium *Hungaricum* solium tribuit, aut per haereditatem consensu nostro adeptum confirmat, iam *Geycza* Patre adhuc vivente Rex electus erat, tanquam si non tot Regibus descenderet, si non armis partam antecessoribus *Hungariam* haberet, humillima, sanctaque summissione ab illius quasi manibus acciperet. *Geycza* enim Pater ipsius maximo Religionis propagandae studio ferebatur, nilque magis cogitabat, quam quomodo tam foeliciter incoepta Christiani nominis incunabula, post obitum suum non primae, nec prorsus abolitae gentilitati cederent, quod sine dubio factum fuisset, si Regnum ob *Stephani* sibi nati infantiam, morte sua per electionem in alterius ducis adhuc paganam stirpem transisset; Convocavit igitur Regni Proceres, qui tantum facinus facta filii Christiani electione praevenirent; Nec vanus hic fuit conatus: *Stephanus* filius eligitur unanimi omnium consensu, *Geycza* paulo post senio confectus occumbit.

S. *Stephanus* Regno potitus tanto zelo Religionem foeliciter incoeptam propagavit, ut ipse unicus inter omnes Christianos Reges a Papa *Silvestre* II. non solum *Apostolus* dictus fuerit, sed ipsa Religio propaganda illi *Apostolica* commissione fuerit attributa his verbis: *Ego sum Apostolicus, & ille merito Christi Apostolus dici potest, cuius opera tantum populum*

pulum sibi Christus acquisivit, atque ea causa, quemadmodum divina gratia ipsum docebit, Ecclesias Dei una cum populis nostra vice ei ordinandas relinquimus. Sur. vit. S. Steph. Reg. 20. Aug. non aliter quam *S. Paulus Philippensibus* misit *Epaphroditum. Philip. cap. 2.* illumque *fratrem, & cooperatorem, & commilitonem* suum, illorum *autem Apostolum, & ministrum necessitatis* suae adpellavit, & idem cum *Tito 2. cor. 8.* fecit. Ideo ut ab *Apostolo S. Petro* Sedes Romana *Apostolica* dicta est, sic a Rege, qui *Apostolus* zelo suo dici, ac quasi *Apostolicae* sedis *frater cooperator*, & *commilito* commissione sua denunciari meruit, iure Regnum *Hungaricum Apostolicum* nempe a tanto *Apostolo* occupatum, & *Apostolatus* huius successoribus continuatum vocari audimus.

Fuit Antiquis temporibus mos multis regionibus communis, ut antiquissima quaeque Regna ad signum submissionis, qua Religionis ergo Christi pastoris sedem venerabantur, varios Regio alias fastui inimitabiles actus Summo Pontifici ostenderent, quibus non animo suo quidquam Regio iuri praeiudicandi, sed se a paganis distinguendi, se vel tributarios, ut per Obolum *S. Petri Anglia*, qui pro Collegio *Romae* a Rege *Ina* fundato applicabatur, aut feudatarios, ut *Poloni*, *Hungari*, petita corona, & antiquissimi *Dani* quodammodo simularent. Licet se enim quisque eorum Regem agnosceret, non voluere tamen iure hoc sibi proprio Diadema ei debitum assumere, sed a Christo, quia autem hic personaliter in terris se non visibilem

 reddit.

reddit, a Vicario Eius, accipere; Materiale coronae signum de eius manibus summentes, quam Realem, ideft: Regnum iam iure proprio, aut electione habuerunt; Ita ut huic, qui eis aureum sertum imponit, nihil quam illud exequendum relinquant, quod Deus Regno iam antecessoribus dato faciundum indigitavit.

Tale fuit S. *Stephani* Regis praeclarum humilitatis exemplum, qui ut *Apostolatus* Regii successum a Divina clementia maiorem sperare valeret, Benedictum Pontificiis manibus Diadema: signum novae suae petiit missionis, quam gladio in Barbaros successores defendere, & nos evaginato ense in *Apostolica* Coronatione significamus. Quod sic factum narrat prodigiosa Chronicorum narratio, *Cartuitus Episc. vit. S. Stephani*, & *Sur.* 20. *Aug. S. Steph.* Quarto a Patris obitu anno *Astricum Praesulem Strigoniensem*, qui aliis *Anastasius*, *Romam* Rex Sanctus misit, ut *Benedictum* a Sanctis manibus sibi Diadema afferret, *Strigoniensem* Episcopatum in Metropolitanam auctoritatem evehi, omnesque noviter erectas dioeceses Apostolica benedictione confirmari impetraret. Praeparaverat Pontifex eo tempore *Boleslao Poloniae* Duci, qui eandem ob caussam legationem ad eum miserat, pretii magni coronam, quam autem de adveniente *Hungarica* legatione certior factus, huic non illi dari voluit, omniaque non solum, quae petierat, Regi nostro concessit, sed insuper *Apostolatus* signo: perpetua crucis sibi praeferendae potestate velut *Apostolicae* sedis Vicarium, verum, ac fidum Dei militem, & *Aposto-*

Apostolum cohonestavit. Hoc etiam distinctionis signo S. Regem, omnesque posteros uti voluit.

Quis crederet, illud, quod unice Religionis actus erat, iniuria temporum hoc Regno nostro damnum causasse, ut temporum posteriorum ignorantia, modernorum malitia illum, quia primum hoc *Apostolico* diademate coronatum, aut primum Regem, vel saltem primum Regem Christianum dicant? Dicunt enim *Hungaros* ante eum tantum Duces, non Reges moderatores suos adpellasse, seque *primo* in destructo *Avarum* Imperio per *Carolum M. Secundo* in eo, quod *Geycza* a *Cartuito*, *Bonfinio*, & qui hos sequuntur, Dux aperte non Rex fuisse dicatur, fundare volunt. Adducunt etiam legationem aliquam *Hungarorüm* ad *Carolum M.* factam, quae primae obiectioni favere deberet, sed ambo haec succeffive perpendemus.

Licet sufficientia praecedenti Dissertatione circa verborum *Eginhardi* hyperbolen locutus fuerim, monet me tamen obiectionis solvendae necessitas aliqua adhuc ad meliorem captum mearum solutionum citando eruere. Videamus quid *Annales Francor. Fuld. de gest. Car. M.* dicant: *ad ann.* 782. *Missi quoque Hunnorum Cagani, & Iugurri, quibus auditis, atque remissis, Rex quidem in Franciam reversus est.*. Ex quo patet *Caganorum* nomen non solum *Magno Totius Hungariae moderatori*, sed & eius tributariis Regulis, & Ducibus datum fuisse, prout in *Cham Tartarorum* instantiam iam dederam, patet etiam praete-

rea eos tam bene legatos mittendi ius habuisse, eodemque modo eos, quam aliorum Regum a *Carolo M.* receptos fuisse; quod in legatis *Daniae* eodem anno, & modo auditis *ann. ad eundem ann.* videmus. Audivimus etiam 7. Capitaneos ex Scythia venisse, qui divisa inter se *Hungaria* Reguli effecti sunt, quorum unus tamen *Arpad* illis praeerat. Si illorum Praedecessores *Cagani*, quod ubique Rex interpretabatur, adpellati, si illi dum hac colonia fortiores effecti, plures Regulos tot provinciis nuncupavere, qui tamen uni eorum obtemperabant, quare hunc, qui Regibus praeerat, Regem negare voles. Nec hic, qui legatus ad *Carolum* mittitur supremus *Hungarorum* Caganus fingi potest, quia quem victum, ad *Carolum* legatione missum, Baptizatum legimus, *Tudun* appellamus, ubi in primaria ex *Arpad* ad *Geycza*, & S. *Stephanum* usque prosapia nullum *Tudun* invenimus, nec in illa quisquam ante *Geyczam*, Christo aggregatus est, quod Patris eius, qui *Toxus* vocabatur, crudelitates, acta S. *Adalberti*, a quo primo *Stephani* parens baptizatus est, Chronica nostra, *Annal. Baron.*, *Bonfin.*, & omnes ubique testantur. Quid autem Annales dicti de *Tudun. ad ann.* 795. videamus *In eo loco, Liuni dicto, Tudun, qui in gente Hunnorum magnae potestatis erat, se, & terram, cum populo, cui praerat, Regi daturum, & Christianum futurum esse promisit.* Non totam *Hungariam*, sed partem cui praeerat; ergo tantum Regulus alicuius partis erat, nec ille in universum aut ius habuit, aut

Fran-

Francis dare poterat *Hungaricum Imperium*; Alios etiam plures fuisse tales principes, qui *Cagani*, aut *Iugurri* appellarentur, sine ut toti *Hungariae* imperarent. *Vid. Annal. ad ann.* 796. *Cagam*, *&* *Iugurro principibus Hunnorum civili bello*, *&* *intestina clade a suis occisis*, *campus eorum*, *quem vocant Hingum primo per Ebericum ducem Foroiuliensem*, *deinde per Pipinum Filium Regis addictus*, *&* *captus est*; fuerat ergo tantum particulare primum hoc cum *Hungaris* bellum, nec aliud quam horum Ducum, aut Regulorum terra, & opes occupatae sunt. Bellum postea, quod hac in terna *Hungarorum* dissensione, ob *Thassilonem Boioarum* incoeptum ad *Arabonem*, & *Budam* usque, cum reliquis *Hunnis* continuatum est: Subiectarum, aut potius per octennium depopulatarum terrarum incolae aufugerunt; Quis autem eos subiectos dicet? si ipsi *Annales Francici Caroli* Gestis maxime amplificando faventes veritati tamen independentiae *Hungaricae* detrahere nequeunt *ad ann.* 805. *Caganus princeps Hunnorum Aquis ad Regem venit*, *&* *ut postulavit*, *inter Sabariam*, *&* *Carnontum habitandi locum accepit*, *eo quod Slavis infestantibus pristinas sedes habitare non potuit*. Non ergo *Carolus* omnes Regulos eiecit *Hungariae*, quia hic *Slavis* eiiciendus remansit. Sed nec hic *Caganus* Regnantis *Arpadeae* stirpis fuerat: *Erat enim Christianus nomine Theodorus*, *quo ad suos reverso*, *&* *non multo post morte praevento*, *Cagano per legatos suos petenti ab Imperatore concessus est honor antiquus*, *quem Caganus apud Hunnos iuxta*

priscum eorum ritum habere solebat. Priscus eorum ritus erat Regulos habere, quorum unus ex *Arpadi* stirpe reliquis praeciperet, ut non ex *Arpad* solo, sed postea ex *Toxi*, & *Geycza* amplius videbimus. *Christiano* autem illo tempore Imperatori, qui gladio Christi missionem in paganos exequi volebat, mos erat, ad plurium conversionem alliciendam non nisi *Christianis* Regibus Regium titulum, aut honorem tribuere, ideo postea conversi ad Catholicam professionem Principes, vel iurare in manus Summi Pontificis ad constantiam portendendam, aut tributum Christo in manus Vicarii Romani cum Recipientis dare, similiaque consuevere.

Sed Pagani ideo non minus Reges dicebantur, ut videmus in *Toxi*, quem omnium *Hungarorum* suffragis in Chronicis nostris Regem electum videmus, qui etiam infelicem in *Germaniam*, & *Gallias* tribus exercitibus expeditionem suscepit, ex qua una in Pannoniam iam victrix rediens adhuc a *Saxonibus* aggressa, trucidata, septem solis, qui amputatis auribus ad horrendum spectaculum remissi sunt, in vita servatis. Hic ubique Rex *Toxis*, aut aliquando corrupte *Tapis* nominatur, ut a *Sigeberto in Chron. ad ann.* 949. & *Bonf. Riccius Chronica*, & *annal. Hung.*

Si ergo *Toxis* Rex est, certe *Geycza* etiam non minor effectus est. Quia tamen mos illo tempore Christianis erat, quam dixi, Christo obedientiam praestare, sic *Geycza* in antiquis historicis, qui vel Monachi erant, aut Episcopi, Dux tantum fuisse dicitur, quia ille

iam

iam Fidelis Christo in eius Vicario dictam adhuc, ut S. *Stephanus*, non ostenderat obedientiam. Sic autem antea non tantum a Pontificia Sede, sed & ab aliis Christianis Monarchis Paganos Principes, quantum potuere, ut ad conversionem quovis modo cogerentur, aut allicerentur, quasi contemptos, subito autem, dum se converterunt, honori pristino restitutos fuisse, in *Theodoro* privato superius Regulo videramns. Ne autem lectori cuipiam praedecessorum nostrorum pietas modernis tantum moribus contraria prodigio simillima, aut incredibilis videatur, aliqua hic tam nostri, quam aliorum Regnorum mirabiliora exempla adferemus.

Sic extat Epistola *Gregor.* VII. ad *Salomonem* Regem *Hungariae*, ubi ille sequentia verba: *Sicut a maioribus patriae tuae cognoscere potes, Regnum Hungariae Sacrosanctae Romanae Ecclesiae proprium est a Rege Stephano, olim Beato Petro cum omni iure, & potestate sua oblatum, & devote traditum*. Et ad *Geysam Hungariae* Regem ex Cap. LXX. & LXXIII. excerpta. Eodem modo Idem Papa de *Hispania* Regibus, Principibus, & Comitibus huius Regni loquitur. L. I. C. VII. & L. IV. C. XXVIII. Adducit etiam *Card. Arragona* *Alexandri* Papae Scriptum ad *Guillermum* Regem *Anglorum*, Item *Gregorii* VII. ad eundem, ubi Regnum *Angliae*, non solum a Rege *Ioanne* dictae sedi datum, sed etiam ante hunc actum iam eius tutelae, & dominio subiectum volunt. Vltro processit antiquissimi Regni *Danorum* pietas, quod se tributa-

rium

rium conſtituiſſe teſtatur *Alexander* Papa ad *Iverum* Regem *Danorum*; Sic *Gregorius* VII. ad *Demetrium Ruſſiae* Regem, & Vxorem eius: *Filius veſter limina Apoſtolorum viſitans ad nos venit, & quod Regnum illud dono S. Petri per manus noſtras vellet obtinere, eidem B. Petro Apoſtolo debita fidelitate exhibita devotis precibus poſtulavit.*

Antiquiſſimorum Regnorum *Croatiae*, & *Dalmatiae* Rex *Demetrius*. A. C. 1521. 14. *Octobris* non ſolum in manus *Gebizi* Monaſteriorum S. *Bonifacii*, & *Alexii* Abbatis, ac *Fulconii* Epiſcopi Apoſtolicae Sedis legatorum fidelitatem emiſit, inveſtituram accepit, ſed & tributum 200. Byzantinorum perſolvit; *Petrus* Rex *Arragoniae Innocentio* Papae Regnum perſonaliter *Romam* veniens commendavit, cenſumque 250. obulorum auri annuo exſolvere promiſit. Haec ex *Card. De Arragonia compil. ex Regiſt. Greg. VII. & alior. Biblioth. Stoſch. Mſſ.* Erat ergo non tantum qui Regiam ſibi mithram imponere volebant, mos ſe & Regnum Chriſti Vicario commendare, ſed etiam antiquiſſimis Regnis tale ei homagium praeſtare; Vnde poſtea Scriptorum non ſatis conſideratorum incuria tam ineptas eduxit conſequentias, ut horum, qui talia facerent, praedeceſſores, aut Reges fuiſſe dubitarent, vel qui ea negligerent, Regiam non iuſte authoritatem poſſidere crederent. Ideo primus Chriſtianus *Hungarorum* Principum *Geycza*, Rex fuiſſe non perhibetur, quia non niſi filius eius mithram ſubmiſſione erga Apoſtolicam Sedem a Pontificia authoritate petiit. Quia autem *Toxis* pater

eius

eius Rex fuerat ; & ille Regia authoritate principes pro electione S. *Stephani* convocat, iustissime etiam *Geycza* Rex fuisse, atque ideo, Regum Serie non interrupta ad S. *Stephanum* usque duravisse statuitur. Quod, ut facilius intelligatur, Schematismum eius, quantum ob scriptorum eius temporis defectum possumus, lectori proponere voluimus.

Schematismus Chronologiae Hungaricae.

AE. V.

392\. *Pannonia* ab *Hunnis* occupata sub sex Ducibus, *Keve*, *Kadicha*, *Keme*, *Bela*, *Buda*, *Attila*.

401\. ATTILA Primus Rex *Hunnorum*.

445\. *Attila* moritur, succedit ei CHABA filius, qui tribus annis Regnat.

448\. *Chaba* expellitur. Aliqui eum ab *Ernaco* differentem volunt, alii eundem, sed nos tantum securiora amplectimus. Populorum divisio, *Ostrogothi* titulum Regium sibi assumunt ob *Hungariam*, *Hungari* etiam illum retinent.

	Gothorum Dynastia.	*Hunnorum Dynastia.*
460.	VVALAMIR. I. Rex Dynastiae Gothicae.	DINZICHVS Hunnorum Rex III. cum *Walamiro* infoeliciter pugnat.

Va-

464.	VValamir Occumbit, THEVDOMIR.	Filii *Attilae*, inter quos ARBAZVTES.
475.	THEODORICVS.	
520.		ZELIOBES a Persis Occumbit.
523.	ATHALARICVS.	Succedit AVARIVS a quo *Avares* populus, & Reges *Cagani* dicuntur.
526.	Praelium inter *Andobinum* Regem *Longobardorum* & *Thurismodum* Regem *Gepidarum*, Post quod *Longobardi Hungariam* inhabitare inchoarunt.	
531.	*Athalaricus* moritur, post quem Chronica nostra in *Gothorum* locum *Longobardorum* successionem ponunt.	
542.	AVDOHINVS Rex moritur, succedit.	
544.	ALBOINVS.	CAGANVS. II.
548.		Gepidarum Regnum ab *Hunnis* destructum.
566.	*Longobardi* in *Italiam* pergunt.	

567. *Hunni* Totam *Hungariam* occupant, CAGANVS, forte III. *Hunni* in *Franciam* intrant, & e *Thuringia* a *Sigeberto* Rege *Franciae* expelluntur.

571. *Hunni* iterum in *Franciam* redeunt, *Sigebertum* male caedunt, qui Regnum suum ab illis magno Thesaurorum pondere, omnibusque ad reditum illorum necessariis redimit, pacemque pro vitae suae tempore precario emere cogitur.

592. CAGANVS, forte IV. pacem cum Imperatore *Mauritio* frangens placatur a *Theodoro Medico*.

594. Romani ab *Hunnis* magna clade afficiuntur.

595. *Hunni* a *Prisco* non minori strage caeduntur.

601. *Hunni* denuo in *Franciam* irrumpunt, ambarum partium perditione aequali.

609. Expeditio *Hunnorum* a *Phoca* maiori tributo illis concesso reprimitur.

612. CAGANVS, forte V. *Foroiulienses* proditrice *Romilda* expugnat.

616. *Longobardos* debellant *Hunni*.

744. Nova *Scythiae Hunnorum* colonia sub septem Ducibus *Almus*, *Zabolch*, *Gyula*, *Kevvnd*, *Lebel*, *Verbulch*. *Wrs*; Rex ARPAD Filius *Almi*.

791. *Caroli* M. primum Bellum *Hungaricum*.

795. Legatio Reguli *Tudun*.

811. *Caroli* M. Bellum octenne cum *Hungaris*, Rex ZVLTAN. filius *Arpad*.

896. Irruptiones *Hungarorum*.

Albe-

915. *Alberico* Vrbe expulso *Hungari Italiam* decennio continuo invadunt. TOXIS Rex filius *Zultan*. In Saxoniam irrumpentes diversis vicibus caeduntur.
950. GEYCZA Rex filius *Toxis*. Primus Christianus.
969. S. *Stephanus* nascitur, &
989. Rex Patris convocatione eo adhuc vivente eligitur.
997. *Geycza* moritur, S. STEPHANVS solus Regnat.
1001. Legati *Roma* S. *Coronam*, & *Crucem Apostolo* Regi adferunt.

Quia non maior error est, quam se non errasse fateri, aut errores suos corrigere nolle; nec maior iniquitas, quam proprios partus non eadem crisis libra, ut aliena ponderare, igitur in me ipsum actor adsum: In Differt. VII. Intra Epochas: eam *Regni Apostolici* non clare explicui; Illa 744. nominis *Hungarici* est Aera, quod non ante 1001. *Apostolicum* titulum sibi vindicare potuit. Regnum autem iam 401. ex dictis fuerat.

AD-

ADDENDA CORRIGENDA ET EMENDANDA.

DISSERTATIO X.

Pag. 155. *exponere* l. exponendo. Pag. 156. *Thetis* l. Thebis. Ibid. *tua* l. ſua Pag. 159. *Tangro* l. Tanagro.

DISSERTATIO XI.

Pag. 169. 969. l. 989. Ibid. 989. l. 1001. Pag. 170. *adverterat* l. adverterunt. Pag. 173. *Veſprinieuſi* l. Veſprinienſi. Pag. 174. *Diſſidis* l. Diſſidia. Ibid. *defuturnm* l. defuturum. Ibid. *ſarmaticum* l. Sarmaticum. Pag. 175. *illac* l. illuc. Ibid. *autem* l. pretio. Pag. 176. *Quaeſtot* l. Quaeſtor. Ibid. *Paumkirhner* l. Paumkirchner. Pag. 178. *moverer* l. moveret.

DISSERTATIO XII.

Pag. 183. *indecorſum* l. indecorum. Ibid. *quaelibet* l. quaslibet. Ibid. lin. pen. *licet* omit. Pag. 184. *Normannis* praep. a. Ibid. *Regia* omit. ſaepius. Pag. 185. *idea* l. ideae. Ibid. *mihi* omit. Pag. 186. *infeliciter* l. infoeliciter. Ibid. *Probo* l. Probo. Pag. 187. *populi* l. populus Ibid. *intravere* l. intravit. Pag. 188. *penes illos* ad. non. Pag. 189. *lectores* ad. remitto. Pag. 192. *ſerre* l. ferre. Pag. 193. *quod* l. quo. Pag. 194. *Cerras* l. Cerrae. Ibid. *adſtis* l. adſcitis. Pag. 196. *poſt* l. poſteriori Ibid. *Zeliobes* omit. qui.

DISSERTATIO XV.

De Nationis Francicae, & Regni antiquitate.





Oſtquam Regnum *Hungaricum* ab *Attila* inchoatum eſſe tribus Diſſertationibus lectori oſtendimus, nil certe ſupereſſe crediderim, quin cuiquam illud prae tot aliis antiquitatis primum apicem attigiſſe pateat. Nullus certe *Attilam* potentiſſimum *Hungarorum* Regem fuiſſe negare poterit, qui nomen ſuum non in *Hungaricis* tantum, ſed & aliorum populorum faſtis inimicorum ſanguine ſignavit. Nec aliquis eundem *Attilam* non eam, quam modo *Hungariam* adpellamus, cum *Hunnis* ſuis iam poſſediſſe dubitavit.

Quantum autem inter tam comprobatam poſſeſſionis noſtrae certitudinem, & dubioſam admodum *Francici* Regni traditionem de antiquitate verſatur diſcrimen. Si Primum Regem *Pharamundum* petas, quanta inter ſaniores criticos, an quis unquam huius nominis Princeps exſtiterit, iuſtiſſima movetur quaeſtio? *S. Gregorius Turonenſis*, & *Fredegarius* antiquiſſimi *Galliarum* hiſtorici, ſolique,

si velis, alicuius quasi contemporaneae authoritatis hoc nomen non norunt, aut nos ignorare voluerunt. Exstat *Pharamundi* adpellatio in historia S. *Prosperi*, & post illum in *Sigeberto Gemblacensi*, aliisque post *Caroli M.* aetatem insignibus scriptoribus; Si tamen S. *Prosperi* historica illi magis attribuenda sunt, quam quae sub eius nomine in aliis materiis circumferuntur, aut, si antiquum quoddam eius Manuscriptum inveniendo securi essemus, an non quaedam falsificatio incognitum *Pharamundi* nomen, ut *Francorum* in *Iosephi* glossemata ex *Hebraeis* traducta, intruserit. Sit, quid unquam velis, ipsis sanae mentis scriptoribus, ac Historiographis huius nationis tam parum fundatum omne, quod de *Pharamundo* perhibetur, apparuit, ut *Montfauconius* nil de eo quam vocem ad nos pervenisse dicat, *Mezeraius* de omnibus ingenue dubitet, P. *Danielus* seriem suam non nisi a *Clodoveo*, incipere quam primorum *Merovingicorum* Regum non satis probata successione, aut fabulis, opus suum onerare malit.

Si tamen *Pharamundus* primus *Francorum* Rex fuerat, nec tamen huius Regni, quod modo *Franciae* adpellamus, initium ab illo statuemus, qui nec palmae magnitudinem in eo possederat; Ideo ut illi nihil maioris gloriae contingere possit, quam ut nationis *Francicae*, non *Galliae* Regni Princeps nominetur. Quantum autem differens sit haec epocha ex illo videbimus, si similitudinem ab *Hunnis* capiamus; Dum de avitae gentis splendore loquimur, *Scythae* sumus; *Tanaumque Scytharum*

Re-

Regem ex *Trogo Pompeio* potentiſſimum orbis Heroem, Regem, & ſi velis Tyrannum habemus, cui certe nec *Pharamundus*, nec ullus *Alemannicorum* Regulorum, antiquitate, aut potentia ſe aequalem dicere audebit; Nomen etiam *Hunnorum* inter *Scythas*, licet horum maxima multitudo ſit, & differentia, tamen iam antiquis Geographis notiſſimum eſt, qui *Hunnos* fortiori aſpiratione *Chunnos* nominarunt. Sic *Ptolomaeus* in *Sarmatia Europaea:* Μεταξὺ Βαςέρνον καὶ Ρωξολάνον Χοῦνοι. Inter *Baſternas*, & *Roxolanos Chunni*, & Ammian. l. 27. cap. 11. l. 31. cap. 2. & 8. *Hunni pervaſis Alanorum regionibus, quos Grutingis confines Tanaitas conſuetudo nominavit.* Item. *Hunnorum gens monimentis veteribus leviter nota, ultra paludes Maeoticas glacialem Oceanum accolens, omnem modum feritatis excedit.* Sed nunquam talia ad antiquitatem Regni noſtri oſtendendam dicerem, quia his temporibus *Hunni*, licet populus *Francis* ſemper maior fuerit, regionem hanc non poſſederant. Videmus quidem ex numeroſo exercitu, cum quo ſub dictis ſaepius ſex Ducibus *Pannoniam* quaſi mari quodam invaſerunt, ex praeliis contra tot nationes ſuſtentis, ex ſtragis magnitudine, non exiguam *Hunnorum* etiam, antequam *Hungariam* occuparent, potentiam fuiſſe, licet nec tota *Hunnorum* vis terras ſuas reliquerit, ut *Pannoniam* intraret; Nam *Bendeguz* Pater *Attilae*, ut vidimus ramanſerat, ſecundam etiam poſtea coloniam ex eadem patria promanare aſpeximus, quae ſub ſeptem aliis Ducibus ex *Attilae*

progenie non relictam ex integro *Pannoniam* denuo recuperarent, aut potius se in eius possessione corroborarent. Ideo etiam *Procop. de bello Persico* eorum Regnum inter *Nomades* figit, licet illos non semper satis ab illis, qui a prima Colonia in *Hungaria* remanserant, distinguat.

Concedamus ergo *Pharamundum Gallis*, saltem quod *Franci* nomen audiatur, habebunt, nec illius Epocha ante A. C. 420. statuetur. Tam sero enim *Romanis* nomen *Francicum* cognitum est, ut ante *Trebellium*, & *Vopiscum* a nemine in litteras relatum aptissime tradat *Welserus in fragm. Peut. Tab. explic.*

Francorum autem origo, quae hucusque iuxta *S. Gregorium Turonnensem* ex *Pannonia* educebatur, modernis Gallis tam parum placet, ut malint traditiones suas deserere, quam non nova, quae quaerunt, invenire. Nec honori nationi *Francicae* est, quod Illustris *Le Gendre* in *tractatu de antiquitate nationis Francicae* noviter edito quaesivit, nempe illos *Scytharum Sauromatarum Francos* esse, qui a fabulosis *Amazonibus* devicti fuere, unumque cum illis populum effecere; Hi enim ab omnibus in dedecoris notam γυνεκοκρατυμενοι, idest: a mulieribus victi, his subditi, & obedientes adpellabantur. *Vid. Diss. II. de Amaz.*

Concedamus ergo *Pharamundum* A. C. 420. exiguae adhuc nationis Regem, quae, si *Tabulam Peutingerianum* consulas ad Rhenum inter fluminis oras, & maris littora supra *Noviomagum*, & *Coloniam Troianam* habita-

bitabat. Nullum tamen hic Regnum inchoari ab eo videmus, quod nobis S. *Gregorius Turonensis*, qui unicus nobis antiquus exstat historicus, relinquere voluit; Ait hic lib. 2. plures narrare *Francos* ex *Pannonia* exivisse, ac primo ad *Rheni* ripas, intellige: dextras, habitasse. Illos postmodum flumen, transiisse, atque in *Thoringiam* penetrasse, ubi sibi iuxta varios situs, aut districtus, ac civitates Reges *capillitos* creaverint, illos ex prima, & quasi nobilissima suorum prosapia summentes. Cuius Regum pluralitatis postea nobis *Chodovaei* parricidia luculenta praebuere testimonia. Viden, quomodo dictus scriptor non solum nostrum de *Francorum* habitatione systema, sed & nobis eos plures Regulos, ut differentes *Alemannorum* populi, habuisse confirmet, nec quemquam eorum iis praefuisse legimus; Quamlibet eorum civitatem, & locum suam formasse Rempublicam credimus, usque dum ob Imperii Romani discordias, quod illis antea permissum non erat, alia Barbarorum exempla sequentes *Rhenum* transierint, & *Thoringiam*, quam forte *Tongriam* velis, occupaverint. Quis autem eorum sit, qui Romanos limites excusso iugo invaserit, difficillimum nobis erit concludere. De *Pharamundo*, illum in *Tongriam* ivisse, nil certi scimus; Eorum nomen, quod a *Fram*, quod idem est ac liber, prosilivit, Aristocraticum confirmat dominatum.

Clodio sive *Clodius*, aut *Clogio* an filius *Theudemeris*, an *Pharamundi* inter *Gregorium Turonensem*, & *Ivonem Carnutensem* lis est;

 Sal-

Saltem eum primi succesforem fuisse dicti autores cum *Monacho Aymonio*, *Adone Viennensi*, *Sigeberto*, & omnibus conveniunt; hic *Rhenum* transit, *Cameriacum*, & *Torniacum* occupat, sed, dum idem cum *Atrebatensi* civitate exequi tentat, *Aëtio*, & *Maioriano* Ducibus A. C. 441. aut 442. retro pulsus, tamen non ut aliqui putant, fluvium regredi coactus est. Circa quem annum credo nobis initium *Francici* Regni, & independentiae, terraeque iam in *Gallia*, quam *Belgicam* vocamus, possessae praefigere satius, securiusque esse. *Pharamundum* autem iuxta *Prosperum* regnasse, non autem in adhuc incoepta *Galliae* possessione A. C. 417. aut 420. decernimus. Ratio eius est, quia *Prosper* anno post *Pharamundi* electionem magnam solis eclipsem accidisse perhibet, quarum una A. C. 418. 19. Iulii, altera 17. Maii. A. C. 421.; nulla autem 425. licet aliqui hanc electionem ad hunc praecedentem 424. protrahere velint, visa est.

Sive ergo *Francicae* nationis Reges numeres, sive occupatum ab illis *Galliae* Regnum adducas, semper, quantum illud *Hungariae* postponere fas sit, quilibet videbit. Occupant *Hunni* 373. *Pannoniam*, Transeunt *Galli Rhenum*, & *Cameriaci* primas in *Gallia* sedes figunt 440. *Attila* in *Pannonia* Rex eligitur 401. *Francorum* in *Galliis* Rex primus dictus *Clodio*, anno a me toties indigitato; extra *Gallias* adhuc, forte *Pharamundus* 417.

Ne autem avitae Gloria nationis, quid maioris pretii *Francis* addere videretur, de iis,

quae

quae hucusque ambarum nationum origini tributa sunt, loquemur. Video in *Tabula Peutingeriana*, uti in antiquioribus geographicis mappis nomine *incognitae* terra quaedam signari solebat, trans *Rhenum* vocem *Francia* scriptam; Sed quia haec maioribus litteris quam aliae trans *Rhenum* voces indigitata est, eodem modo nomen *Franc*, quod in antiquo *Teutonico* idem ac liberum dicit, caeteros populos complectere crediderim. Ita ut *Francia* non nomen nationis, aut provinciae, sed libertatis indigitandae dicatur, *Rhenusque* limes *Romani Imperii* statuatur, ac quidque transillum sit populorum, ab omni *Romanorum* lege liberum dicatur. Fuere autem horum populorum nomina: *Burcturi*, *Svevi*, *Alemanni*, *Armalausi*, *Marcomanni*, *Lutugi*, *Quadi*, *Chamaves*, addunt alii. *Chauci*, *Cherusci*, *Chatti*, *Ansivarii*, *Dulgibini*, *Chassuarii*, *Agrinvarii*, *Salii*, *Tencteri*, *Usipii*. Qui se a *Romano* iugo *Francos* adpellabant, aut liberos; quod confirmat *Ausonius*.

Accedent vires, quas Francia, quasque Chamaves,
Germanique tremant . . . . .

Vbi *Francia* quid genericum esse, & *Chamaves* includere videtur. Quod etiam e *Claudiano* in Sextum *Honorii* consulatum eruimus:

Segnius an veteres Istrum Rhoenumque tenebant
Tigris, & Euphrates quum foedera Medus,
& Indus Hinc peteret?

Et in Paneggirico *Theodori Cos.*

Lentus Arar, Rhodanusque celer, & dives Hiberus:
Et quoties doluit Rhoenus, qua Barbarus ibat,
Quod te non geminis frueretur iudice ripis.

Postea *in Olibrio, & Probino:*

Annue sic nobis Scythicus famuletur Araxes,
Sic Rhoenus per utrumque latus &c.

In laudibus *Stiliconis:*

Ostentare suos prisco si more labores,
Et gentes cuperet vulgo monstrare subactas,
Certarent utroque pares a cardine laurus,
Haec Alemanorum spoliis, Australibus illa
Ditior exuviis . . . .

Quem sequitur *Sidonius Apollinaris* in Panegyrico:

Sed senibus residere loco, tibi maxime fluctu
Eridane, & flavis in pocula fracte Sicambris,
Rhoene tumens, Scythiaeque vagis equitate catervis
Ister, & ignotum plus notus Nile per ortum,
Quum procul erecta coeli de parte trahebat
Pigros Roma gradus . . .

Et alibi:

Francus Germanum primum, Belgamque secundum
Sternebat, Rhoenumque ferox Alemanne bibebas,
Romanis ripis, & utroqne superbus in agro.

Et iterum ibidem:

Si praefecturae quantus moderetur honorem
Vir quaeras? Tendit patulos qua Gallia fines.

Ibi

Ibi etiam ſemper praelia ad limites fuiſſe vid. Horat. lib. 4. Od. 14.

Maior Neronum mox grave praelium
Commiſit immaneiſque Rhaetos
Auſpiciis pepulit ſecundis. Et poſtea:
Te caede gaudentes Sicambri
Compoſitis venerantur armis.

Quem etiam limitem a *Maioriano* recuperatum in Panegirico illi dicato legimus:

Quid faciam infoelix, nato quae regna parabo,
Excluſo ſceptris Geticis reſpublica ſi me
Praeterit, & parvus ſuper hoc Gaudentius huius
Calcatur fatis: iſtum iam Gallia laudat,
Quodque per Europam eſt, rigidis hunc abluit undis
Rhoenus, Arar, Rhodanus, Moſa, Matrona, Secana, Ladus,
Clytis, Claris, Arar, Vacalis, Ligerimque bipenni
Exciſum per fruſta bibit, quum bella timentes
Defendit, Turonem aberas, poſt tempore pravo
Pugnaſtis pariter Francis quis Cloto patentes
Attrebatum terras pervaſerat, hinc coeuntes
Claudebant anguſta vias, arcuque ſubactum
Vicum, Helenam, Flumenque ſimul ſub tramite longo.
Arcus ſuppoſitis trabibus tranſmiſerat agges.
Illic te poſito, pugnabat ponte ſub ipſo
Maiorinus eques, fors ripae colle propinquo
Barbaricus reſonabat hymen, Scythiciſque choraeis Nu-

Nubebat Flavo ſimilis nova nupta marito.
Hos ergo, ut perhibent, ſtravit, crepitabat adictus
Caſſis, & appoſitis haſtarum verbera thorax
Arcebat ſquammis, donec converſa fugatus
Hoſtis terga dedit plauſtris rutilare videres,
Barbarici vaga feſta thori, coniectaque paſſim
Fercula, capturaſque dapes, cyrroſque madentes
Ferre coronatos redolentia ſerta lebetas.

Sic omnes autores ad *Rhoeni* limites convenire videmus, ubi licet a *Maioriano* retro pulſi fuerint *Franci*, vix tamen cum P. *Daniele* illos non *Galliam Belgicam* occupaſſe, ſed tantum incurrendo vaſtaſſe dicere auderem, quos *Cameriaci*, & *Torniaci* reſidere video:

Nullius fuit difficultatis, quae hucuſque diximus, ſtatuere, quia autem nomen *Francorum* commune, ut vidimus *Germanorum* non ſubditorum fuerat, quodque illi ſibi ipſi vindicabant, uti *Romani* illos omnes *Barbarorum* nomine adpellabant, difficilius erit, qualis dictorum populorum *Rhenum* tranſierit, pronunciare. Aliquos eorum ſuperius nominavit *Sidonius*, & *Auſonius*, ita ut *Salios*, *Chamaveſque* ex iis fuiſſe non dubitemus; Sunt etiam loca *Germaniae* uti *Francofurtum*, quod *Francorum tranſitum* dicit, quae ſi non locum, ubi *Franci Gallias* ingreſſi, ſaltem ubi ſaepius incurrendo tranſire ſolebant, oſtendunt; Sic etiam in ducatu *Bergenſi* oppidum *Fran-*

Francken, in *Frisia* urbs *Franecker*, aliquos populos *Francos* habitasse ostendunt. Teste: *H. Iunio*, & *Procopio*.

Vnde autem hae *Germanorum* nationes originem sumpserint, tam arduum, quam superfluum inquirere iudicaverim; Nullius certe momenti sunt quae ex MS. quodam *Dagoberti* his verbis: *Ex nobilissimo, & antiquo Troianarum reliquiarum sanguine nati*, & ex illa *Caroli Calvi* iisdem verbis, ac *Ludovici* XII. symbolo: *Vltus avos Troiae* decerpuntur, ut *Francos* a *Troianis* post urbis infaustae ruinam egressos tradamus; Nec foelicius eos dixisse quidquam putarem, qui cum *Goropio Becano*, & *le Gendre* Σκυθέων των Ελευθερων *Herodot. Melpom. Scytharum Francorum* vertunt, quia nec minima Etymologiae monumenta patent, significatio autem libertatis ob eandem rationem a Graeco Historico his data est, ob quam *Franci* omnes *Transrhenani* appellabantur *Germani*; Nec iniustius, eadem enim *Persis* fuit difficultas illos sibi subiiciendi, ob fluvium *Tanaim*, & paludes, quae *Romanis* ob *Rhoenum*, fluviosque, ac lacus confines erat, hos vi in fausta domandi.

S. Gregorius Turonensis solus inter *Gallos* tantae est antiquitatis, ut si non contemporaneus dici valeat, saltem aliquam traditionem usque illum pervenisse vetustiorem credere possimus. Hic *Francos* e *Pannonia* exiisse tradit, nec quidquam habet, quod illi repugnet, scimus *Pannoniam* omni tempore *Scytharum*, omniumque *Barbarorum* incursionibus inquietatam, qui postea infausti rumores, a

Sla-

Slavis, & *Bulgaris* usque ad S. *Stephani* quasi tempora continuati sunt; Iam ratio ipsa egressionis traditionem confirmare videtur; Quis scit, an dum in *Matrici*, & *Tetrici Veronensis* exercitu, ubi cum *Romano* milite, *Pannones*, & *Germani Hunnis* Ducibus sub ambarum Provinciarum Praesidibus opponebantur, variae nationes iunctae sunt, non *Pannon* e Patria ab *Hunno* eiectus cum aliunde semper rebellibus, aut liberis, ut se vocarunt, *Germanis*, unitus novam sibi Terram quaerere coactus, se cum dictis *Francis* miscuerit, & tandem, quia limes novo populo addito iunctis angustus erat nationibus, *Rhoenum* Transgredi, provinciasque *Romanorum* occupare tentaverit. Convenit sane optime tempus invasionis in *Belgicam*. A. C. 373. Intrant *Hunni* in *Pannoniam*, 401. Rex *Hunnorum Attila*, 417. sibi Reges eligere incipiut, quod antea illis a *Romanis* aut non permittebatur, aut primo ob *Pannonum* adventum necessarium erat; Qui Reges forte *Pannonica* stirpe oriundi erant. An a *Pannonibus Franci* habuerint morem, ut sibi *capillitos Reges* eligerent, ut dicit *S. Greg. Turon.* nescimus. *Germanos* longos nutrisse capillos, quis dubitat? Iam *Tacitus de mor. Germ.* pluribus locis nos ea de re instruxerat, iam *Claudian. de consul. Honor.*

---------- *Flavam sparsere sicambri*
Caesariem ---------

Idest: ita se ante *Stiliconem* inclinarunt, ut comae, quas in anteriori parte capitis longio-

giores gestabant, procidentes solum tetigerint; Quare ergo scriberet S. *Gregorius Turonensis*, omnesque post illum, *Francos* sibi capillitos Reges elegisse, si comas gestare, non tantum *Gallis* non inauditum, sed commune fuerat; si quod plus est, *Sicambri*, si *Burgundi*, aliique Barbari easdem comas ferebant, quas *Franci*. Non potuit ergo aliter natio, quam capillitos eligere, quia omnibus mos aequalis erat; *Franci* occiput radebant aures versus, omnesque crines ad frontem protrahebant. Sic *Sidonius* testatur.

Ad frontem coma tracta iacet, nudataque cervix
Setarum per damna nitet.

Quos in maiorem longitudinem crescere voluerunt, ut legimus: *Procubuere solo*; *Gothi*, vero, & *Hunni* sinciput radentes omnem ad tergum comam deferebant. Si igitur aliquam distinctionem esse voluerunt sibi Reges capillitos, certe alterius nationis fuere primi Reges, quam *Franciae*, quod per alium comae modum ostenderunt; Confuso enim cum *Francis Pannone*, dum se satis potentes esse viderent, ut a *Romanis* in electione sua impediri nequirent, ex advenientibus *Pannonibus* idest: *capillitis* Reges sibi fecerunt, Quod Regum etiam postea decus confirmare videtur, quod in longo capillicio, per quem solum Regem distingui volebant, consistere debuit; Ideo postea omnes, ut dixi caput radere, solo Rege id undique intactum relinque-

quente, & alienae nationis morem pro Regiae Maiestatis signo retinente, iussum erat. Nec aliter corpus *Childerici* Regis *Fredegondae* novercae iussu trucidati agnitum fuit: *Gregor. Turon.* iuvenesque antequam Regna adirent, iam ita capillos ut Regis decori apti fierent, alebant *Ioan. Tilius lib.* 2. *de reb. Gall.* Et *Clodomirus Clodovaei F. a Burgundis* in praelio iis per humeros pendentibus innotuit, vitaque exinde perdita signavit. *Id. Ibid.* Omnisque semel rasus Regno incapax esse dicebatur, ideo *Clotildis* optione data, ut filias forcipi, aut ensi tradat: *Satius mihi est, si ad Regnum non evehantur, mortuos eos videre, quam rasos*, exclamavit.

Licet dixerim, me *Gregorio Turonensi*, qui *Francos* e *Pannonia* eduxit, non contradicere, tamen, etsi tempus Regni conditi, multaque similia circumstantiarum in id convenire videantur, ut *Pannones* ab *Hunnis* expulsos *Franciae* Regnum fundasse credamus, non tamen ideo eam aliter sententiam, quam coniecturam esse asseram; Hoc unico mihi pro consequentia manente, quod nec ex eo sibi quidquam *Francia* praecellentiae sumere possit, quod origo, aut antiquitas *Scythicae Hunnorum* progeniei indubitate contulerat; *Primo:* Quam dubiosa sunt omnia, quae a *Francis* circumferuntur, ita ut an unquam quis *Pharamundus* exstiterit? an *Clodio* quid trans *Rhoenum* possederit? an primi Quatuor Reges *Galliam* intraverint? rectissime saniores Critici cum P. *Daniele* dubitent. Quanta e contra *Attilae*, & eius Regni exstant monu-

numenta ; Quae *Pannoniae*, ab *Hunnis* occupatae securitas. *Secundo:* Quoties *Franci* exiguo exercitu *Romanorum*, & illo quidem tempore, quo *Romani* undique, quo se defendant, vix habebant, repulsi? Vbi *Hunni Pannoniam* tanta intrant potentia, ut ingens mortuorum hostium numerus, fors integros *Francorum* exercitus excederet. *Tertio: Pannonia* statim tota occupata est, ubi *Francia* quam modo adpellamus, ex variis partibus, vario tempore, ratione, modoque, coniunctis coaluit. *Quarto:* Fors ipsi a nobis Expulsi *Pannones*, ut non incredibile est, eorum Reges fuere. *Quinto: Sigebertus* eorum Rex ingenti se auri vi ad emendam pacem *Hungariae* Tributarium reddidit. Vt igitur non tantum de antiquitate, sed & origine gentis gloriosis totius orbis victoribus Scythis, *Tanaoque*, *Hunnis* eorumque Regi *Attilae* quiddam sibi praecellentiae attribuere, nil aliud quam nostram esset proprio ore gloriam decantare.

Sequenti igitur Dissertatione partes Regni nostri, earumque nobilitatem cum iis, quae *Galliarum* monarchiam constituunt, in similitudinem librae nostrae imponemus, ne incerta cum certis mixta, fabulosa cum veris annotata, magna cum parvis, fucataque puris, hyperbolica penna confundamus. Si enim postea aliquis partes, quae totum constituunt, nobiliores esse mecum conveniet, vix forte integrum ex his partibus compositum non exinde nobilius fieri sine me iudicabit.

DISSERTATIO XVI.

De Partibus Hungariae.





Rimum Regnum, quod post *Hungariam* ipsam Provinciam, & partem nostri Imperii constituit, est *Dalmatia*. Hoc est, quod omnes nationes inter *Cercam*, & *Drinam* includit, & sunt, quos antiqui *Tariotes*, *Hyllos*, *Dalmates*, *Derrienses*, *Ditiones*, *Mazeos*, *Lardiates* inter *Cercam*, & *Cettinam*; *Ceraunios*, *Daorlios*, *Desistrates*, *Docleates*, *Deretinos*, *Deremistos*, *Dindarios*, *Glinditrones*, *Melcomenios*, *Naorsios*, *Scutares*, *Siculotes*, *Vardeenses*, inter *Cettinam*, & *Narentam*; *Labentes*, *Enderodunos*, *Grabios*, *Illyrios*, *Pyreos* inter *Narentam*, & *Drinam*, nominarunt, quibus remotiores *Ozuei*, *Parthenii*, *Hemasini*, *Arthiti*, *Armisti* accedunt. Taceo Reges *Illyric*, qui cum *Gentio* ultimo eorum a *Romanis* A. V. C. 586. ante AE. V. 168. Imperio exuti in Provinciam *Romanam* transiere; Scimus postea sub *Dalmatiae* nomine vastum illud Imperium fuisse, quod Regna *Dalmatiae*, *Croatiae*, *Serviae*, *Bosniae*, *Sclavoniae*, *Bulgariae* constituerat; Hi sub *Heraclio* obtenta ea *Dalmatiae* parte, quam illi *Paganiam* adpellarunt, nos

Serviam, Regnum novum incoeperunt expulsis *Avaribus*, qui eam possederunt, *Serviamque* urbem condidere, & evocatis *Roma* presbyteris Christianum cultum introduxerunt. *Theophylact. Simocat. lib.* 7. *cap.* 10. *Cedren. pag.* 399. Primo Rege, qui principatum acceperat a Graecis mortuo, succedit filius.

II. *Boisesthlavus*, seu *Boleslaus*.

II. *Bodoslavus*.

IV. *Prosagoës*.

870. V. *Blasthemirus*, bello in *Presiamum* Regem *Bulgarorum* memorabilis, *Basilico Macedone* Imperante.

VI. *Muntimirus*, *Stroimirus*, & *Goinicus* simul regnarunt, Bellum in *Michaelem Borisem* Regem *Bulgarorum* fortiter gesserunt, tandem *Muntimirus* post varia intestina praelia fratribus in *Bulgariam* eiectis solus remansit.

VII. *Prieslavus* fil. *Muntimiri* post annum a Patruele eiectus.

VIII. *Petrus*, seu *Petrislavus* Patruelem deturbat, tempore *Leonis Isaurici*, Regnavit 20. annis, demum in *Bulgariam* adductus vitam finivit.

IX. *Paulus Brani* filius, *Muntimiri* nepos *Zachariam Prieslavi* filium fudit.

X. *Zacharias* a *Bulgaris* adiutus Regno potitur.

950. XI. *Tzeesthlavus Clonimiri* filius Rex.

Haec est series Regum *Dalmatiae*, & *Serviae* nobis a *Constantino Porphyrogenito* relicta, alia enim a *Presbytero Diocleate* nobis offertur, nec mirum si diversa penitus inveniatur;

tur; nam alii enim populi *Serviam*, & *Dalmatiam* maritimam incoluere, alii partem interiorem, diversi igitur horum, illorumque Reges, diversa bella, & Revolutiones, nec quidem illorum, quae ab uno narrantur, apud alterum mentio est; Ideo etiam male sibi consulunt ii, qui *Phorphyrogenitum*, *Diocleati* conciliare cupiunt dicentes illos de iisdem Principibus sub diverso nomine ob differentem linguarum pronunciationem, terminationemque vocum solum discrepantem loqui, quia eadem semper deberent esse his, quam illis cum *Bulgarorum* Regibus bella, eadem inter Patrueles dissidia, quorum in *Diocleate* nec omina remanent. Nunc ad *Diocleatis* seriem: Incipit haec in VI. saeculo.

I. *Sotladus* ex *Gothis septentrionalibus*, seu *Avaribus* veniens *Anastasio* contemporaneus *Dalmatiam* occupat, cui sunt tres filii *Brusius*, *Totius*, *Ostroilus*; *Brusius* inter *Gothos* remansit, *Totius* est *Totilas*, qui in *Procop. l.* 2. *de bello Goth. cap.* 29. & 30. *lib.* 3. *cap.* 2. *Theudis Visigothorum* Regis ex Sorore, *Ildibaldi* ex fratre nepos, nec non ex *Thom. Archid. in Hist. Salonit. cap.* 6. *Marc. Marul. in hist. Dalm.* noscitur.

II. *Ostroillus*, seu *Odrillus*.

III. *Sveuladus*, seu *Sevudilavus* Regnavit 12. annis.

IV. *Selimirus* Regnavit 12. vel 20. annis

V. *Vladamus*, vel *Bladinus Selimiri* f.

VI. *Radmirus Vladini* filius moritur sine liberis.

VII. -------

VIII. ------

IX. ------

X. *Svetmurus*.

XI. *Budimirus* Baptizatus a *Constantino Philosopho Leonis Patricii Filio* in baptismo *Svetopelek*, aut *Svetopolis* ab *Andr. Dandul.* A. C. 854. ideft *Puer Sanctus* nominatur; *Constantinus* hic ab aliquibus *Cyrillus* esse creditur, qui Characteres invenit *Kyrullicos*, multasque *Slavicarum* gentium ad Christi fidem convertit, ut *Moravos*, sed haec non ad nos; vid. *Bolland. ad* 9. *Mart. S. Cyril. & Method.*; *Lucius pag.* 439. *Duret. Hist. ling. pag.* 741. Hic autem error subripit, nam *Svatoplucus* Rex *Moravorum* erat, qui longo tempore post *Budimiri* mortem vixerat, eaque, quae *Diocleates* de illo narrat illi contigisse *Innoc. l.* 2. *Epist. pag.* 452. *Thom. Archid. Salon. cap.* 12. *Andr. Dandul. Porphyrogen. de adm. Imp. cap.* 41. de *Svatoplu*co *Moravorum* Duce, aut velis Rege, quem *Ioannes Lucius in Ioann. VIII. PP. Epist.* 247. *Sventapulcrum*, *Annales Francorum* autem *Zventibolckum* nominant, perhibuere, sed hoc non ad nos *Budimirus* regnavit 40. annis.

XII. *Sfetolicus Budimiri* f. regn. 12. ann.

XIII. *Vladislavus Sfetalici* f. in foveam inter venandum lapsus moritur. Hic *Ragusicum* occupare conatur. *Luccar. lib.* 1.

XIV. *Tomislavus*, vel *Polislavus Vladislai* frater. regn. 17. ann.

XV.

XV. *Sebeslavus*, aut *Sedesclavus* regn. 24. ann; reliquit duos filios.

XVI. *Rabisvosus*, vel *Rasbivaius*, aut *Milivoias*, cum *Vladimiro* Regnum divivit. *Rabisvoius*, VII. ann. regni moritur, frater in solidum succedit, regn. ann. 20.

XVII. *Charanimirus*, *Caramirus*, vel *Canimirus Vladimiri* f.

XVIII. *Tuardoslavus*, vel *Tuerdislavus*.

XIX. *Ostrivoius Tuardolavi* ex sorore nepos regn. ann. 22.

XX. *Tolimirus Ostrivaii* f. regnavit ann. 11.

XXI. *Pribislavus Tolimiri* f. a proceribus ob crudelitatem interemptus.

XXII. *Crepimirus Pribislai* f. regn. ann. 20.

XXIII. *Svetoradus* vel *Svetozarus*.

XXIV. *Rodoslavus* vel *Radoslavus* Romae mortuus a filio throno deturbatus.

XXV. *Ciaslavus* vel *Scislavus* Cognomento *Apostata*, qui Patrem throno deiicit, postea a vidua *Chisi Pannonum* Ducis captus, & trucidatus est. Interregnum in *Dalmatia*, & provinciae a *Imperio*, ut vocabant, Praefectis gubernata, quorum unus *Ciaslavi* gener *Tycomilus Risciae* imperabat.

XXVI. *Paulimirus* cognomento *Bellus Rodoslavi* ex filio *Petrislavo* nepos a *Dalmatis* in Regem acceptus, & coronatus est; *Auctor historiae Dalmasticae* a *M. Marulo* editae, Reges *Croatiae* cum iis *Dalmatiae maritimae* hic confundit.

XXVII. *Tirscemirus Paulimiri* posthumus, accepto in praelio cum *Bano Praevalitano*,

litano, quem devicit, lethali vulnere obiit.

XXVIII. *Predemirus* seu *Prelemirus* hic varia bella cum *Bulgaris*, & *graecis* gessit.

XXIX. *Legetus* peste occubuit.

XXX. *Sylvester Rodoslavi* f. hic codicem Dalmaticum condidit.

XXXI. *Tugamirus Sylvestri* f. circa ann. 985. regnasse perhibetur.

XXXII. *Hralimirus*, seu *Kfalemirus Tugamiri* f.

XXXIII. *Petrislavus Hralimiri* f.

XXXIV. *Vladimirus* a *Ioanne Vladislavo Bulgarorum* Rege sub amicitiae praetextu ad se vocatus capite truncatus est. 22. Maii ann. 1015. Indict. XIII. miraculis clarus.

XXXV. *Draghimirus Hralimiri* f. *Catari* a civibus in aede S. *Gabrielis* trucidatus est.

XXXVI. *Dobroslavus* eius Regnum arduis praeliis firmavit ann. 1043. Ind. X.

XXXVII. *Michaël* Regn. 30. annis.

XXXVIII. *Rodoslavus* Regnum cessit rebelli *Bodino* ex fratre nepoti.

XXXIX. *Bodinus* Regn. 26. annis.

XL. *Michaël* Regno detrusus.

XLI. *Dobroslavus* II. *Rodoslavi* f. praelio in *Bosnia* occumbit.

XLII. *Vladimirus* II. veneno sublatus.

XLIII. *Georgius Bodini* f. Regnum ann. 1115. adit.

XLIV. *Grubessa Georgium* expellit; sed il-

lo

lo magno cum exercitu redeunte in praelio occumbit.

XLV. *Georgius* redux, iterum profugus *Constantinopoli* vitam finivit.

XLVI. *Draginha* Regnavit 11. annis.

XLVII. *Rodislavus* III.

XLVIII. *Primislavus* Regno exuitur.

XLIX. *Beluses*, aut *Bela* Regnum reliquit.

L. *Deses*, seu *Dessa* Regnavit circa annum 1173.

LI. *Neeman*, seu *Nemagnas* obiit 1234.

LII. *Thiomilus* aliquot menses regnat.

LIII. *Symeon*, quem Graeci *Stephanum*, Rex *Rasciae* dicitur.

LIV. *Stephanus Simeonis* f. Regnavit ann. 28.

LV. *Vulcus*, seu *Vulcanus Stephani* frater.

LVI. *Neeman* II. seu *Nemagna* cognomento *Crapulus Stephani* f. Regnavit ann. 22.

LVII. *Stephanus* II. *Vrosius*.

LVIII. *Stephanus* III. *Dragutinus* Rex proclamatur, in Patrem arma movet, sed poenitentia ductus in monasterium abscedit.

LIX. *Vrosius* cognomento *Sanctus Stephani* frater, regnare coepit circa annum 1288. obiit 1320. Regni 35. vel 40.

LX. *Vladislavus Stephani* f. throno deiectus a *Stephano*.

LXI. *Stephanus Vrosii* nothus Rex inauguratur. 1322. a Proceribus capitur, & suffocatur 1333.

LXII. *Stephanus* cognomento *Dufcianus* hic fe *Romaniae*, *Sciavoniae*, & *Albaniae* Imperatorem fcripfit, ut teftatur *Diploma Ragufinum an.* 1346. *a Du Cange in Famil. Dalmat.* citatum.

LXIII. *Vrofius Stephani* f. a *Vucafcino* clava ferrea interfectus eft. A. C. 1368.

LXIV. *Vucafcinus* aliquandiu a *Turcis* laceffitus regnavit, ufque dum haec *Dalmatiae* pars, cum *Hungarica* a *Turcis* parte occupata confufa eft.

Tertium demum Regnum eft, quod *Croatiae Baptizatae* dicebatur a Graecis, in qua *Salona*, *Scardona*, *Sebenicus*, *Belgradus*, *Zara*, *Nona* nobis innotuere, quam etiam ad difcrimen ab altera *Croatia*, quam *Albam* dicebant, *Baptizatam* nominare ius erat; Quod tamen illos forte non ante *Ladislavum* Regem illorum; poft quem primo nuntios ad Summum Pontificem miferunt, ut in Chriftianis ritibus edocerentur, quod etiam factum eft, & *Croati* facro baptifmate donati funt, nifi cum *Conft. de adm. Imp. cap.* 30. 31. illos fub *Heraclio* Orientis Augufto ad Chriftiana Sacra affumptos velis, & cum *du Cange* ad Paganifmum rediiffe dicas; quod ob frequentes *Turcorum*, *Patzinacitarum*, *Francorum*, aliorumque *Barbarorum* in *Croatiam Baptizatam* incurfiones non mirabile effet, aut non credendum, licet huius defectionis nulla nobis alia extent argumenta. Quanta etiam inter illos diffidia; & inteftina bella exteris armis incitata, *vid. Porphyrogen. de adm. Imp. Annal. Franc. ab. an.* 800. *& ul-*

tra

tra Eginh. annal. 818. *& ultr; Chron. Marcian. lib.* 2; *Andr. Dandul; Bonfin; du Cange Fam. Dalm.* Interim tibi lector aliquorum Regum nomina citra tamen annorum figendas determinationes daturus, ea ad Regum Seriem tantum fingendam accipe, usque dum tibi, si tempus permiserit, laboriosissimum doctissimi, & incomparabilis Viri D. *Du Cange Dalmaticum* studium continuaturus, quod illi reliquum est, dare possim.

I. *Ladislavus*, vel *Laduslavus*.

II. *Porinus*, post quem apparet fuisse aliquod interregnum, si verum est, quod *Porphyrogen.* tradit, *Croatiam* post illum in XII. Iupanias divisam fuisse; licet etiam possibile sit, hasce praefecturas semper sub Rege eodem unitas, licet omni inter se dependentia divisas, fuisse; post hunc habemus nomina.

III. *Mislavus*, seu *Muisclavus* regnavit circa annum 839. *vid. Ioan. luc. lib.* 2. *Hist. Ven; & Dandul.*

IV. *Tirpimirus* Regn. circa ann. 837. *ut ex tabul. Archiep. Spalatensis du Cange; Io. Luc. lib. 2. cap. 2.*

V. *Cresimirus Maior*.

VI. *Dircislavus*, seu *Miroslavus* regnavit 4. annis, & a *Pribunio* Bano interfectus est, regnavit circa ann. M. Ind. XIII. ex *Charta Fundationis aedis S. Michaelis ad amphiteatrum Salonense erectae lucius pag.* 79.

VII. *Pribinna*, seu *Pribunius*.

VIII. *Godemirus*, sub quo *Dircislavi* fratres Re-

Regiam dignitatem arripientes intestinum bellum movere scilicet: *Svetlavus*, *Cresimirus*, & *Goislavus*.

IX. *Cresimirus* II.

X. *Stephanus Cresimiri f.*

XI. *Cresimirus* III. *Petrus Stephani f.* regnavit circa annum 1059. mortuus doctissima coniectura dicitur ab eruditissimo *Du Cange* ad ann. 1073.

XII. *Slaviso*.

XIII. *Demetrius Svinimirus* se *Croatiae* & *Dalmatiae* Regem dixit, iugumque *Augustorum Constantinopolitanorum* excussit; Regnum ab omni dependentia suum liberavit.

XIV. *Stephanus*, post quem in *Hungariae* ius transierat, ob *Crescimiri* filiam *Ladislao Hungariae* Regi nuptam vid. *Orbinum*; aut *Zuiminiri* coniugem, quae *Ladislai* soror acceptam, dum liberis careret, a *Zuinimiro* potestatem in fratrem transtulit, *Thvvroczius*, & *Bonfinius*, a quibus *Hungariae* Regibus varii *Banorum*, aut Ducum *Slavoniae* titulo *Croatiae* praeponebantur, quorum eruditissimus *Du Cange* elaboratissimam nobis notitiam reliquit.

Quartum *Hungaricum* Regnum est *Bulgaricum*, quod non a *Scandinavia*, ut vult *Irenic. lib.* 6. *cap.* 32. sed Regionibus Maeotidi conterminis egressum ex *Niceph. in Brev; & Teoph. pag.* 297; *ac Iornand. de Reb. Got. cap.* 5; *Du Cange Fam. Dalm. Slav. Turc.* VI. optime statuit, atque a *Volge* fluvio *Magnam*

Bul-

Bulgariam vocitatam fuisse cum *Paul. Iov. de legat. Moscov. pag.* 124. 125; & *Hist. Dalmat. pag.* 207; *Niceph. Gregor. lib.* 1. *pag.* 18. tradit idem Eruditissimus Dalmaticus Genealogista. Suntque, quos *Porphyrogenetus* voce *Hunnica Onnogunduros lib.* 2. *de Them. pag.* 81. dixit; Nec haberem, ut multa de tam terribili populo perhibeam, qui toti se terrarum orbi formidandum praebuerat, *Sen. lib.* 8. *ep.* 10. nam *Thracia* sub *Anastasio* Augusto multis invasionibus turbata occurrentem sibi *Graeco Romanum* exercitum A. C. 499. & 502. ad internecionem usque fuderunt; *Marcell. Com. pag.* 46. 48; *Theoph. pag.* 123. 137; *Diac. lib.* 15. *pag.* 429.; *Sozom. lib.* 9. *cap.* 5.; *Zon. pag.* 46. Noscimus iam Regis titulo ex *Sigebert. Gembl.* & *Conrad. Ab. Usperg. ad ann.* 487. *Busam Bulgaris* imperasse. Contra quos ad ingentem murum erigendum coactus fuit *Anastasius vid. Zonar, pag.* 48. Quorum etiam postea magna cum *Hunnis*, & *Avaribus* bella exorta videmus, ut de Imperio summo inter *Hunnos*, & *Bulgaros* definiatur, in quibus *Bulgari* profligati A. C. 690. vid. *Fredeg. cap.* 72. Reges postea, quorum mentio fit, sunt sequentes.

I. *Chrovatus*, seu *Covratus*, cuius filii in varias partes concessere.

II. *Bathaias*, *Batbaias*, seu *Baianus Chrovati f.* Rex in *Bulgaria* remansit.

III. *Terbelis*, seu *Tarbagl*; *Constantinopoli* Caesar adpellatus cum *Iustiniano* Augusto una confederat vid. *Anast. in Ioan. VIII.*; *Codin. de orig. pag.* 60.

Huic

Huic successisse vult *Orbin. pag.* 407. *Asaner* filium, cui demum *Dobrum* sed aliter *Sigeb. an.* 727.; *Suidas*; *Theaph. pag.* 360. 362. 421; *S. Niceph. pag.* 205. & Incomparabilis *Du Cange*, quos sequimur.

IV. *Telesis*, seu *Teleutzas* 30. Iun. A. C. 763. ad *Anchialum* victus deponitur.

V. *Sabinus* eligitur, qui Regnum relinquit.

VI. *Paganus* electione succedit.

VII. *Telericus*, seu *Tsericus Paganum* A. C. 771. secutus est, seque postea insidias veritus Imperio dimisit circa 775.

VIII. *Cardamus* Regnavit usque ad annum. 807.

IX. *Crumus*, *Crumas*, seu *Crumnus* magnis in *Graecos* Imperatores expeditionibus clarus repentina morte A. C. 815. praeventus.

X. *Doucomus*.

XI. *Ditzengus*, *Tzocus* a suis interemptus.

XII. *Mortagon*, *Mutragon*, vel *Omortac Ludovici Pii Augusti* contemporaneus a successore occisus.

XIII. *Baldimirus*, vel *Valdimirus Crumi* ex filio nepos, Regno exutus est post A. C. 828.

XIV. *Bogoris* moritur monachus sanctae conversationis spargens adorem A. C. 896.

XV. *Presciamus*.

XVI. *Michael Vorizes*.

XVII. *Symeon Vladimiri* filius.

XVIII. *Petrus Symeonis* f.

XIX.

XIX. *Borisej* seu *Burichus* a *Zimisce* Augusto victus, & Regia dignitate exutus est: Igitur deficiente Regia stirpe rerum summa a *Bulgaris* in quatuor fratres delata est Comites potentissimos: *Davidem*, *Moysen*, *Aaronem*, & *Samuelem*, qui variis funestis casibus inopinata morte Regni curam commuttarunt.

XX. *Samuel Mocrus* ob infaustas Belli se persequentis calamitates dolore, & consternatione interiit 15. Septembris. A. C. 1015.

XXI. *Gabriel Samuelis* f. dictus *Radomirus*, & *Romanus*, a Ioanne Vladislavo in venatione interfectus est 24. Octobris 1015.

XXII. *Ioannes Vladislavus* infausto cum *Graecis* praelio interficitur A. C. 1017. Hic subiugati *Bulgari Graecorum* Imperio aliquandiu, parent, variis vicibus sub *Petro Delcano*, *Fhiomiro*, *Alusiano*, *Nicephoro Caranteno*, *Damiano Dalasseno*, *Nicephoro Briennio*, & maxime demum *Constantino Bodino* frustra resurgere nitentibus.

XXIII. *Petrus*, & *Azan* Regii Sanguinis fratres ab *Isaaco Angelo* Graecorum Augusto deficiunt, & *Bulgaride* Regnum multis victoriis restaurant, usque dum A. C. 1189. *Asan* a *Ioanne* Patruele venenata chlamyde interficitur, cui *Petrus* aliquamdiu solus regnans morte violenta correptus succedit.

XXIV. *Ioannes* Apostolico adiutorio sibi expe-

expetito ab *Innocentio* III. postquam per *Leonem tit. S. Crucis* Cardinalem Archiepiscopus *Trinovilanus* Primas *Bulgariae* consecratus fuerat, ab eo 7. *Novembris festo S. Iacobi Bulgariae*, & *Valachiae Imperator* Coronatus. In Obsidione demum *Thessalonicensi* A. C. 1207. mortuus est.

XXV. *Vorylas*, seu *Phrorylas Ioannis* ex sorore nepos Regnum usurpat.

XXVI. *Ioannes Asan*, *Asanis* Regis filius *Vorylam* septennati bello devicit, eruitisque luminibus carceri perpetuo mancipavit, obiit A. C. 1241.

XXVII. *Calomannus*, vel *Calumanus Ioannis* filius. Obiit A. C. 1245.

XXVIII. *Michael* eiusdem *Ioannis* filius, a Patruele *Calomano* A. C. 1257. interemptus.

XXIX. *Calomanus* II. a *Russis* interemptus.

XXX. *Mytzes Michaëlis* per *Mariam* Sororem affinis Regnum a successore coactus fuga commutavit.

XXXI. *Constantinus Techi f.* Rex tandem in praelio contra *Lachanam* occumbit.

XXXII. *Lachanas Corducuva* in *Scythia* a Rege *Noga* in convivio occiditur.

XXXIII. *Ioannes Asan*. Hoc tempore *Stephanus* Hungariae Rex A. C. 1270. & 1272. *Bulgariam* invadit, expugnat, sibi vectigalem reddit, ex quo tempore Reges *Hungariae*, ut & statim *Ladislavus V. Stephani* dicti filius *Bulgariae* Reges dicti sunt. *Stero an.* 1270.

&

& 1272.; *Suffrid. an.* 1272.; *Thvvroz. lib.* 2. *cap.* 77. *Bonfin. dec.* 2. *lib.* 8.; *Odoric. Rainald.* 1279. 1280. *Lucius lib.* 4. *Hist. Dalm. cap.* 12.

XXXIV. *Georgius Terter* a *Noga Scythiae* Rege pellitur.

XXXV. *Smiltzes Noga* vivente regnavit.

XXXVI. *Suvestislavus*, seu *Sphendostlavus Terteris* filius restituitur, Obiit A. C. 1323.

XXXVII. *Georgius Terter* II. *Suvestislavi* filius.

XXXVIII. *Boesilavus Suvestislavi filius* Regnum depulsus reliquit.

XXXIX. *Michael Strascimirus* electo *Boesilavo* Rex lethali vulnere in conflictu contra *Stephanum* Reginae fratrem accepto, triduo post obiit.

XL. *Alexander Michaelis* ex fratre nepos succedit secundum *Luccarium* A. C. 1350. vel *Orbinum* 1353.

XLI. *Strascimirus* a *Ludovico Hungariae* Rege expugnatur, & capitur, qui per Procerem *Hungarum* sub praefecturae *Vidini* nomine *Bulgariam* administrari curat, tandem post XII. annorum captivatem emisso fidelitatis Sacramento libertatem, & urbem *Vidinum* ei restituit. *Thvvroz. in lud. cap.* 33.; *Bonfin. dec.* 2. *lib.* 10. *Wald. an.* 1366. *&* 1369.

XLII. *Sismanus Marcus* cognomento *Craiovichius*, seu *Cratevichius Alexandri* filius cum *Stascimiro* de Regno decertavit,

vit, interim Primo *Amurathes* I. postea *Baiazethes* eos inter dissidia haec expugnant. Quaesivit Imperator *Sigismundus* Rex *Hungariae* quare *Bulgariam* iure clientelae *Hungarico* Imperio obnoxiam contra foedus inter ipsos intercedens impeteret, sed ob praelii ad *Nicopolim* infelicem pro *Christianorum* armis eventum nil aliud, quam *Bulgariae* perditio, secuta est.

DIS-

DISSERTATIO XVII.

De Thule veterum.

***



Hule, aut *Thyle* veterum Geographorum, tot modernorum Commentariorum diversis ratiociniis ansam praebuit, ut quod veteres de ea dixere, semel *Islandiae*, alias *Scandinaviae*, aliquando *Schetlandiae*, aliter *Thylmansiliae* competere asseruerint; Inde egressum est famosissimum inter Doctissimos viros litterarium certamen: *Ionam Arngrimum* nempe, & *Pontanum*, in quo primus charam sibi *Islandiae* patriam in tractatu suo *Speciminis Islandici* ab applicatis illi a *Pontano* Geographorum de *Thule* fabulosis assertionibus magna eruditione, fervoreque nobilissimo liberare conatur.

Ad omnem igitur, quantum in nobis est, imposterum de *Thule* finiendam quaestionem, nostram primo sententiam statuemus, postea aliarum hucusque inconvenientias forte ostendemus.

Thule, Insula est Romanis, Graecisque Geographis, ultima terrarum sibi cognitarum, nusquam autem ea illis comparuit, ideo ex-

trema, ultra quam nemini ascendere permissum sit, dicebatur, ita ut certe quamcunque finitimam suis cognitionibus septentrionem versus scivissent, non solum hoc nomine insignirent, sed & fabulis, quibus longinqua, incognita, aut sibi non visa depingere solebat antiquitas, decorarent.

Thule nomen a Graecis ad Romanos pervenisse Graecorum nobis ostendunt Geographicorum libri, a *Phoenicibus* autem non solum suadet, quam dicemus, etymologia, sed & antiquissima *Thita*, quae *Tibeth* est *Chananaeorum* littera. טולי *umbras* dicit, *Syrisque* idem sonat; טולי רמשא *Thule Ramsa Ierem. cap.* 6. *v.* 4. *Chald. Paraphr.* *umbrae vespertinae* interpretabatur. Erat itaque *Graecis Thule* eadem, quae *Phoenicibus* antea *Gezarat Thule* גזירת טולי seu *Insula tenebrarum*, aut tenebricosa, quam postea nobis veteres talem tam Graeci, quam Romani descripsere variisque miscuere fabulis. *Pytheas Massiliensis*, qui tempore *Ptolomaei Philadelphi* librum *de ambitu terrae* scripserat, ab *Eratosthene*, postea *Strabone* corrigitur, quod supra *Thulen* neque mare, neque terram, sed corpus quoddam ex utroque elemento compositum esse credidisset. *Strab. lib.* 4. fabulosam esse talem ultimae terrae descriptionem, nullique marium, insularumque septentrionalium convenire, quotidiana navigantium experientia, qui *Islandiae*, *Groenlandiae*, *Spitzbergae*, *Novae Zemblae* oras circuiere, probat, ac impossibilitas balenarum piscationis, aut ob celeritatem navicularum haec monstra carmis infe-

insequentium inter glacies, venationi ferarum inter sylvas similis maxime confirmat, quae hanc certe in mari hoc, quod *pulmoneum* vocaverat fabula, impediret. *Antonius Diogenes*, ut videbis *Photii Biblioth. Cod. CLXVI.* composuerat *Incredibilium de Thule Insula libros XXIV.* qui Dramatici quidem sunt, primique omnium forte fabulis Romanensibus originem dedere, omnibusque, quae *Lucianus*, *Lucius*, *Iamblichus*, *Achilles Tatius*, *Heliodorus*, *Damascius*, aliique, *narrationum*, *transformationum*, errorum, amorum, fabulosorumque itinerum, de *Lucio*, de *Sinonide*, ac *Rodane*, de *Leucippo*, ac *Clitophonte*, de *Charicléa*, ac *Theagene* finxere, fons poeticus suis longis tot dormitionibus, aut aliquot annorum morte, ac secunda vita, adductisque ab eo *Dercylli*, *Berylli*, *Thruscani*, ac *Diniae* exemplis Poeta extitit, & antesignanus. Quod *Thulen* Insulam attinet, variae, quae nobis satis absurdae apparent, sunt fabulae, ut si quis ab ea *Boream* versus proficiscatur, ad *Lunam* proprius accederet, quae purissima tellus esset, quam multarum urbium, montiumque esse olim dixit *Xenophanes*, ut refert: *Cic. Acad. quaest.* 4. Iam autem an non talium fabularum aliqua antiquior sit origo, examinemus: *Diogenes* hic igitur ipse licet has prodigiis similes fabulas libris a me nominatis conscripsisse, & *Isidorae* sorori suae litteris deditae dedicasse *Faustino* scribat, se testes habere his ipsis fabulis longe antiquiores, ex quibus talia dessumpserit, asserit, sicque enarrat in epistola ipso in operis ini-

 tio

tio ad *Isidoram* exarata ex *Balagro* quodam id *Philae* uxori sue narranti depromptum: Cum *Tyrus* ab *Alexandro Macedone* caperetur, ignisque & ferrum devastaret plurima, accessit quidam, qui se inauditum quid habere diceret. Rex itaque sociis *Hephaestione*, & *Parmenione* stipatus secutus ductorem militem extra oppidum ad tumulos quosdam e lapide subterraneos pervenit, sic inscriptos singulis nominibus singulos; *Lysilla Vixit annos XXXV. Mnason Mantiniae F. vixit annos LXX. post LXXI.* Intellige postquam de novo reviviscerer. Et sic de *Aristione*, *Dercylli*, ac *Dinia*. Quibus lectis stupentes in pariete arcam e cupresso fabricatam observant alia inscriptione signatam. *Hospes quisquis es, aperi, ut discas, quae admiraris.* Aperto ab *Alexandri* sociis scriniolo cuparissinas tabulas a *Dercylli* illuc *Diniae* mandato collocatas, quae totam ab *Antonio Diogene* conscriptam fabulam *Thule* Insulae continebant, invenere, quas postea *Balagrum* quendam uxori suae transcriptas misisse noster narravit auctor.

Ex hac digressione dicemus primo: omni aetate iam antiquorum fabulam Insulae nostrae a *Phoenicibus* emanasse traditionem communem fuisse, nostramque confirmare coniecturam; Secundo, ut dixi, *Thule* descriptiones fabulis semper permixtas nobis incertitudinem applicationis cuicunque Insulae ex dictis affigendae augmentare, sed etiam pro quavis extrema remotissimaque habitam esse confirmare, ita ut quasi mundi finem, lunaeque vicinam, creaturarum confusionem,

per

per haec verba indigitare vellent. Nec credo mihi contrarium esse *Strabonem lib.* 4. dicens: Περὶ δὲ τῆς ΘΟΥΛΗΣ ἔτι μᾶλλον ἀσαφὴς ἡ ἱστορία, διὰ τὸν ἐκτοπισμόν ταύτην γὰρ τῶν ὀνομαζομένων, ἀρκτικωτάτην γάρ τι θέασιν. *Magis etiam obscura est Thules historia ob tam longinquum situm, omnium enim, quarum feruntur nomina, maxime versus septentrionem esse hanc dissitam aiunt*. Ac si diceret quamcunque versus Septentrionem maxime dissitam Insulam *Thulen* appellari, illique ideo ut poli arctici contiguam ea, quae *Pytheas* de frigore, noctium, dierumque variatione narravit, convenire; *ideoque fructuum mitiorum nihil, animaliumque mansuetorum parum ibi nasci* ut *Id. Ibid.* Ideo etiam *Claudiano Ratibusque impervia Thule* nominatur, *Virgilius lib.* 1. *Georg. v.* 30. *Tibi serviet ultima Thule* cecinit, & Augusto, ut ei totus mundus obediat ipsa *Thule* omnium terrarum ultima imperio suo inclusa, apprecatur:

Restat nobis, ut *Thulen* non incassum ab etymologia *Phoenica* umbrarum nomen apud *Graecos*, *Romanosque* obtinuisse, sed etiam ab ambobus semper pro tenebrosa habitam ostendere.

Vel super Hesperiae vada caligantiae Thules

Sic *Statius lib.* 3. *sylv. ult. v.* 20. & *lib.* 4. *Sylv.* 4. *v.* 62. *Aut nigrae littora Thules*; porro *lib.* 5. *Sylv.* 2. *v.* 54.

----- *Quantusque nigrantem*
Fluctibus assiduis, fessoque Hyperione Thulen
Intrarit -----

Et *Mela: noctes per hyemem obscurae*, *Plin. lib.* 2. *c* 75. *nulli per brumam dies* clamant.

Nunc autem postquam, quantum fieri potuit, sententiam nostram breviter declaravimus, eas quae exinde *Islandiam*, *Scandiam*, *Tillemarckiamque* consuunt, examinabimus, atque eodem tempore, quae supra diximus, magis confirmare nitemur.

Non solum *Chrymogea Islandica*, *Arng. Ion. Annales Isl.* qui certe ob continuationem eorum ininterruptam, quam nobis dictus Eruditissimus Autor in *Specim. Isl.* enarrat, magnae mihi auctoritatis sunt, dicunt *Islandiam* ipsis septentrionalibus populis antiquitus cognitam nequaquam fuisse, dum eam a *Naddoco*, aliis *Naddodo* e *Norvegia* oriundo detectam primitus narrant. Erat hic nobilis viri *Txnathoreri* filius, & *Barnakalleri* alterius illustris *Norvegi* gener, fortis pirata, qui in Insulis *Farensibus* diversari solitus erat, dum autem quodam die eas consueto sibi more repetere vellet, a tempestate quadam superveniente ad littus Orientale terrae, quam modo *Islandiam* adpellamus, longius abactus est, & huic ob nivium copiam *Snaelandiae* nomen indidit; Secundus post hunc fuit *Gardarus Svecus* natione *Suavari*, aut *Aevari* filius eandem expertus fortunam secundus viventium hominum in *Snaelandia* pe-

dem

dem figere coactus ei a se nomen *Gardarsholm* reliquit; A. C. 864. quod ei usque ad *Flockonem* remanserat. *Flocko Valgerdarsonius* a matre sua *Valgerda* cognominatus curiositate motus eam invisit, & postquam eam variis superstitionibus quaesivisset, licet pyxide nautica destitutus, hanc tandem invenit, atque a multa circum eam glacie *Islandiam* nuncupavit; sed nec hic, nec priores eam habitatam reliquere. Non enim nisi *Ingulfus Ornonis* Baronis *Fyrdafyckensis* filius cum affine suo *Leiffo*, aut *Hiorleiffo* A. C. 870. cognitam iam prioribus naufragiis, & denominatione tantum detectam *Islandiam* visitat, reversusque in *Norvegiam* accepta secum numerosiori colonia A. C. 874. denuo ingreditur, primusque eam incolere coepit, in quam aeram cum omnibus ita convenimus, ut cuncta diplomatum antiquorum testimonia, & quod maximum est, annalium *Islandicorum* securissimam successionem negare deberemus; Quomodo ergo tam tarde inhabitata Regio, nec cognita *Septentrionalibus* quidem populis nisi fortuito casu insula, *Graecis*, ac *Romanis* tanta iam historiarum meliusve fabularum fuisset origo.

Quomodo *Pytheas* potuit pro *Thule Islandiam* intelligere, quam a *Britannia* Insula sex dierum navigatione abesse versus *Septentrionem*, vicinamque congelato mari asserit? dum *Strabo* eos, qui *Iberniam Britannicam* viderunt, nihil de *Thule* dicere sed alias quasdam circa *Britanniam* Insulas commemorare confirmavit; ideoque illum hominem

 men-

mendaciffimum etiam alias iam inventm hoc loco appellat *lib.* 3. *pag.* 63. Nec *Pytheas* aliud voluit dicere quam ultimam cognitarum terearum, quia illam *Brittanicarum* Septentrionaliffimam effe ait, ideo eam etiam non tam remotam, & Septentrionalem, fed magis nobis propinquam, meridonialemque effe merito credidit *Strabo*, quia, qui *hodie terras perluftrant ultra* Hiberniam *nihil posfunt referre, quae non longe verfus Septentrionem ante Britanniam iacet, plane ferorum hominum domicilium, & propter frigus male incolentium: ibi ergo finem conftituendum cenfeo.* Sic vertitur *Strabo lib.* 2. *pag.* 115. Finem ergo terrarum cognitarum ac *Thulen* fynonimum quafi facit, dum ideo *Thulen* non longius abeffe vult, quia non altior nobis terra cognita eft. Quod autem idem auctor *lib.* 4. *pag.* 201. licet mare pulmoneum fictitium putaffet, tamen quoad coeli rationem, contemplationemque mathematicam non inepte *Pytheam*, locorum defcripfiffe proprietatem credat, non miror; quia in frigidis Septentrionis Regionibus tam parum & ipfe habuit experientiae, ut & *Hiberniam*, quae illi iam ultima *Thule* eft, multis fabulis oneret; feque fide dignis teftibus deftitutum dicat. Nec ideo *Islandiam* aut quamcumque dictarum infularum crederem, quia *Thulen Belgarum* littori oppofitam vult *Pomponius Mela lib.* 3. *cap.* 6. non enim ullum dictorum a *Thules* indagatoribus locorum *Belgis* oppofitum invenio. An forte *Plinium*, qui femeftrem noctem non reiicit, fed illi vel eam e
Pythea

Pythea, vel saltem menstruam in Bruma affingit, *Islandiam* aut quamcumque e dictis terris putasse credas; Rideo, experientia enim securior nobis, quam *Plinio* magistra solem etiam in hyeme omnibus dictis locis oriri nos certiores facit, eiusque fabulas reiicit. Quis autem ob *Norvegiae* in *Islandiam* navigationem, eam *Thulen* volet, si ex *Nerigo* quam *Norvegiam* credunt, unius diei iter idem *Plinius lib.* 4. statuit. Quis enim unquam una die & nostris temporibus, ubi tamen nauticae peritius nobis est saeculum, e *Norvegia* in *Islandiam* pervenit. Hoc autem exinde concludo uti ultra *Britannicas* Insulas nemo antiquis temporibus pervenit, sic ex parte *Norvegiae* unius diei navigatio omnis cognitionis assuetae erat terminus, seu *Thule*, quam autem certe insulam faciet *Plinius*, qui omnia Septentrionis continentia, *Scandiam* ipsam, *Dumnam*, *Bergas*, & *Nerigon* Insulas *Boreales* notitiae enormissimo deffectu effecit. In *Islandia* praeter equos, & Boves nullum est armentum, praeter Betam, & Iuniperum nulla fere arbor, *Chrym. Apolog. Island.* quomodo ergo *Thules* erit *Solini*, quae pomorum copiosos habet fructus, aut quomodo pecudes cum hominibus simili pabulo vivent? Quomodo *Islandi* fructus, quos *Solinus Thulensibus* attribuit, & hyeme congregare vult, recipient, dum nullos habent? Porro, quia *Thule* ab hoc *Britannica* Insula appellatur, *Islandia*, quae ab illis tanto *Oceano* distat, esse nequit. *Tacitus* etiam, qui circa *Thulen* mare

re pigrum esse, pulmoneum, remigantibus grave, quod nec ventis ipsis attollatur; *Thulen* nullam ex dictis terris esse confirmat, ubi quotidiana naufragia, turbines, tempestates, venti maxime circa *Islandiam* potentissimi, Balenarum circa hanc, & totam circa circum *Scandinaviam* captus nulli terrae proprie convenire, sed tantum ultimae urbis totius regioni, cuius nomen appellativum quasi, non proprium erat *Thule*, fabulam terris incognitis tribuendam probat: Postquam igitur *Islandiam Thulen* esse ex nullo veterum Geographorum probari posse ostendimus, huicque sententiae tanta inconvenientia esse ostendimus, ut haec ipsa forte quaecunque in favorem *Scandiae*, aut *Schettlandiae* dicamus, iisdem saepius, quibus ea *Islandia* fingebatur, argumentis refellantur, ne tamen prorsus de his tacere videamur, aliqua, quae de iis dici solent, adiungemus, licet ob tanta, quae de *Islandia* diximus, non amplius tam prolixam contra *Scandiam*, & *Schettlandiam* texere refutationem necessarium iudicemus; Oportuit id tamen contra primam agere, quia *Pontanus Ionae Arngrimi* veracissimi, iudiciosissimique auctoris *Islandici* hac ratione adversarius tum veterum, tum modernorum Geographorum suffultus testimoniis, eam esse volebat, quam hic in *Specimine suo Islandico* tot eruditissimis ratiociniis refutaverat.

Scandia ordinarie pro *Scandinavia* summitur, sic & ipsi *Ortelio*, qui eam *Thulen* esse fortius ostenderat, illamque peninsulam, quae

Nor-

Norvegiam, *Sveciam*, *Gothiam* hodiedum complectitur, efficit; Licet *Iac. Zieglerus in sua Schonia* hoc nomine *Groenlandiam*, *Islandiam*, *Orcades*, *Lapponiam*, *Norvegiam*, *Sveciam*, *Bothniam*, *Gothiam*, *Finlandiam* comprehendat; Satis nobis est, ut cum *Baudrand*, & *Anon. Hist. orbis terr. Geogr. & Hist. Scandiae*, & *Scandinaviae* voce omnes illius *Septentrionalis* peninsulae Regiones complecti sciamus; Haec est, quam *Ortelius* vult fuisse *Thule* ab antiquis habitam, licet *Thule* Insula dicatur, haec autem peninsula non ignoretur, licet, quae noctibus semestribus, aut menstruis antiqui fabulavere, ei minime convenire certum sit, & mare pulmoneum ab omnibus refutetur; Dicit *Ortelius* gradus latitudinis illi a *Ptolomaeo Thule* at tributos depingi, quod tamen mihi venia Clarissimi viri nequaquam videtur. *Ptolom. Tab. Vrb. edit. Oxon.* eas dicit 66. *gr. lat.* ubi *Ortelius* ipse in mappa Geographiae veteribus cognitae *Edit. Antv. Plant.* eam non ultra 65. *gr. lat.* pervenire facit; porro Provincia *Schonia* quae proprie *Scandiae*, & *Scandinaviae* nomen dedit, maxime meridionalis est, & ad 57. *gr. lat.* pervenit; Ob unum locum *Tillemarckia* dictum impossibile est, in tot inconvenientiis, quae repugnant, *Thulen* illam esse *Ortelii* permittere. Tandem ipsi veteres Geographi, qui *Thulen* nominant, etiam *Scandiam* non obliviscuntur, nec eam cum prima confundunt, vid. *Strab. pluribus locis*, *Agatemer. lib. 2. cap. 4.* omnesque ferme veterum.

Eamus

Eamus nunc ad *Schettlandiam*, quae *long.* 25. *latit. inter* 61. & 62. *gr.* locum occupat, an huic toties repetitae fabulae, aut *Ptolomaei* gradus conveniunt? Insulae *Schettlandicae* sunt, *Maynland*, *Zell*, *Wust*, *Wales* a veteribus nobis sub *Aemodum* nomine transmissae. Vide, quos unquam petis, Geograghos, quia in id omnes conveniunt.

Fateor *Britannicarum* Insularum ultimam, unius diei navigatione a *Nerigo* quamcunque Insulam inveniunt, certe *Thulen* dixisse, aut credidisse veteres, quod autem non nomen proprium esse *Islandicum*, *Scandiae*, aut *Schettlandiae*, sed cuiuscunque extremae Regionis appellativum, ita omnes antiqui, dum dimensionem statuere volunt, semper quoad *Septentrionem* ad *Thulen* tendunt, idest ad ultimam illis cognitam Regionem. Vid. non solum *Strab. lib.* 1. sed & *Marciani Heracleotae Periplum maris extern. lib.* 1. plurimasque veterum dimensiones. Ita veteres iam dixere Britannos toto orbe remotos, omneque, quod Hyperbolice totum orbem complectere voluere, ad *Thulen* usque pertingere dixerunt: Sic *Papinius Statius de successu belli Getici*:

Famaque nigrantes succincta pavoribus alas
Secum cuncta trahens a Gadibus usque Britannum
Terruit Oceanum; & nostra procul axe remotam.
Insolito Belli tremefecit murmure Thulen.

Et

Et *Epigramma Fortunati* de Divi *Hilarii* eloquentia agentis;

Eloquii currente rota, penetravit ad Indos,
Ingeniumque potens ultima Thule colit.

Ideo *Sinesius* dubitavit, an aliqua sit *Thule*, quia & ille, & *Gyraldus Thulen*, se nusquam, intellige veterum descriptionibus convenientem, comparere vidisse exclamant; Illudque cum *Gasparo Varrerio Lusitano*, ac nostro *Arngrimo Iona* affirmare audeam inutile esse ulterius in eam inquirere, ac impossibile non in errores incidere, si quis pro aliqua quacunque Regione statuere aliquid velit; igitur omnis prudens aliorum cautus erroribus, quos maximi viri hic cavere non valuerunt, nostra sententia sibi praecaveat, monendus est.

AD-

ADDENDA CORRIGENDA ET EMENDANDA.

DISSERTATIO XIII.

Pag. 199. *speravit* l. speraverit; Pag. 200. *saepissimi* l. saepissime; Ibid. *Iohaannes* l. Iohannes; Pag. 201. *Hannorum* l. Hunnorum; Ibid. *plures* l. pluries; Pag. 204. *cnm* l. cum; Ibid. *Vrnetiarum* l. Venetiarum. Ibid. *reliquis* om. se. Pag. 205. *acquisivissent* l. acquisivisset. Pag. 206. *Chataz* l. *Chabae*; Pag. 207. *convenimus* transf.; Ibid. *ita* om. abinde; Pag. 212. *iuri* l. iuris. Ibid. *capiunt* l. cupiunt; Pag. 213. *subditorum* l. subditorum; Pag. 214. *Metisbruth*. Metisbruck. Ibid. *irruptis* l. irruptio. Ibid. *Protestat* l. Protospat. Ibid. *cas.* om. non. Ibid. *sque* l. usque.

DISSERTATIO XIV.

Pag. 219. *etiavv* l. etiam Pag. 221. *ter rarum* l. terrarum. Pag. 222. *suffragis* l. suffragiis.

DISSERTATIO XV.

Pag. 233. *ramanserat* l. remanserat; Pag. 237. *transillum* l. trans illum; Pag. 239. *aberas* l. aberas; Pag. 242, *incipiut* l. incipiunt; Ibid. *sicambri* l. Sicambri; Pag. 244. *filias* l. filios.

DIS-

DISSERTATIO XVI.

Pag. 247. *Illyric.* l. Illyrici. Pag. 248. *Survamque* l. *Serviamque*; Ibid. Graecis l. *Graecis*. Pag. 251. *Sfetolicus* l. Sfetalicus. Pag. 252. *divivit* l. dividit. Ibid. *Rasbivaius* l. *Rasbivoius*; Ibid. *Tuardolavi* l. *Tuarſdolavi*; Ibid. *Oſtrivaii* l. *Oſtrivari*. Ibid. *Pribislai* l. *Pribislavi* Ibid. qui l. quia. Ibid. *tſucidatus* l. trucidatus; Ibid. *a Imperio* l. ab Imperatoribus; Ibid. *Rcdoslavi* l. Rodoslavi. Pag. 252. *graecis* l. *Graecis*; Ibid. *Boſnnia* l. Boſnia. Pag. 254. *Regem illorum* ad. attinet; Pag. 256. *Volge* l. *Volga*. Pag. 258. *Ditzengus* ad. ſeu; Ibid. *adorem* l. odorem. Pag. 260. *coronatus* l. coronatur. Ibid. *ſeptennati* l. ſeptennali.

DE DISSERTATIO XVI.

Pag. 247. Illyric. l. Illyrici. [illegible] *Sirmumque* l. *Sirmiumque*, Ibid. *Graecis* [illegible] Pag. [illegible] Ibid. [illegible] 252. [illegible] l. dividit. Ibid. [illegible] Ibid. [illegible] Ibid. [illegible] l. cruciatus; Ibid. [illegible] ribus; Ibid. [illegible] Pag. [illegible] ad. attinet; Pag. 256. *Vulgo* l. *Vulga*. Pag. 257. [illegible] ad. *fru*; l. id. [illegible] l. odorem. Pag. 260. [illegible] l. coronatur. Ibid. [illegible] l. [illegible]

DISSERTATIO XVIII.

De origine XII. denominationum signorum Zodiaci.



Oſtquam lectores longius exuberante Apoſtolici Regni praecedentiae materia retinueram, antequam relictas Pſalmorum rubricas reaſſumam, diverſitatis promiſſae memor, de ſignorum Zodiaci denominationibus ab antiquis paganis e ſcriptura deſumptis agendum mihi interea cenſui.

Accedit, quod, dum advenientem hirſutis montibus *Raſciae* gentis incolam, terraque feroci natum urbanitas *Itala* loqui iuſſit, hic eandem materiam pertractans nationis gratioſae approbationes habuerit, ac inſolita, ut quidam dixere, inventio, non ratione, ſed coniecturarum inaudita multitudine, ſi non vera fuerit, ſaltem vera fuiſſe mereretur. Quia tamen difficile eſt auditu ſolo iudicem tantorum diſcrepantium argumentorum agere, ea praelo ſubiicere iuſtum eſt, ut melius quiſque poſſit, quae ardue concluduntur, corrigere, quae temerario aſſeruntur, mitigare, veritatique, quam ſolam

quaerimus, fors non diutius, ut hucusque criticis ratiociniis Iudaicam historiam impugnantibus, detrahere valeamus, aut potius etsi inviti quid securius amplecti cogamur.

Ideam huius Dissertationis anonimus mihi dedit auctor, qui doctissimo *Bignonio* paucu-lis verbis se in *Israelis* benedictionibus *Zodiacum* quaerere, hoc ordine, ut & ego, transmisit, pictaque papyro magis ostendere, quam rationibus probare, vel ex etymis educere, cum mythologia in parallelam aequare, aut versiones interpretari voluit rogans, ut sensum desuper Academiae *Lutetiensis* perciperet, quod factum est, illisque ita consentaneum fuit, ut destitutam licet ulteriori aenigmatis solutione schaedam *discursuum Academicorum tomo quinto* insererent. Non vobis ingratam ergo me operam dare credidi, si ultra inquirerem in eo, vobisque, quod *Lutetia* nudum dilexit, rationibus novis amplectendum proponam.

Omnem tum *Graecam*, tum *Aegyptiorum* mythologiam e vera historia desumptam, fabularum autem nube involutam esse, iam nemo ambigit; Omnis in hac, & haec in omnibus invenitur; Nulli ergo me inusitatum quid dicere apparebit, cui *Huetium*, *Bochartum*, *Vossium*, *Grotium*, *Clericum*, & Eruditissimum *Lafitavium moribus Americanis:* fors in coniecturis suis me multo temerariores audire placebit.

Primus se nobis inter *Israeliticos* tribuum Principes ante oculos ponit *Ruben*, ex cuius historia fabulosi emanasse mihi videtur *Aqua-*

rii

rii Apotheosis: Hic *Hygino*, aliisque *Ganimedes* est *Poet. Astron lib.* 2. 29. Videamus ergo, quid de primo scriptura, fabula de secundo dicat? *Ruben prior in donis, maior in imperio Gen.* 49. 3. quod & ipsum antonomasticum nomen *Ruben* confirmat, quod dicit: ראובן *videte filium*. *Ganimedes* formositate commendatur, & ex Graeci nominis etymo *plenus boni consilii* dicitur: Prior in donis corporis est pulchritudo; quis maior in imperio, & ad regendnm aptior, quam qui plenus est boni consilii? Iam in donis igitur, ac denominatione unum sunt *Ruben*, & *Ganimedes*. Continuat prophetia *Israelis Gen.* 494. *Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius*. Sensus verborum est iste: Tu praematura pollutione, & incestuoso crimine cum *Bala* concubina mea effusus es sicut aqua *Gen.* 35. 22. non crescas, tribus tua manebit inferior omnibus in foecunditate, & numero progeniei in punitionem, quod ascenderis cubile patris tui, & maculaveris stratum eius. Iam ergo in figura *Aquarii*, aut aquam effundentis eum descripsit ipse pater; Ascendit *Ruben* cubile Patris, *Ganimedes* in Coelum rapitur, quod nobis Summi Dei solium, per stratum Patris repraesentat, eo magis, quo antiquis recubare, non sedere mos erat. Pincernae functio non vitae certe mores strenuos, sed effoeminatos ostendit, ad quam Orientales vel foeminas, vel Eunuchos, aut naturae etiam horridis flagitiis servientes assumere solebant, & in hodiernum usque

diem assumere solent, ita ut nec mirarer, si aperte sub Eunuchi nomine *Ganimedem* pincernam repraesentassent, quia *Ruben* infoecundissima tribus remanserat. Occurrit nobis in fabula *Hebe* ob *Ganimedem* repudiata, quae *Bala* est ob flagitium ab *Israele* non amplius cognita, nam *patrem id minime latuit*. *Gen*. 35. 22.

Iam post *Ruben* in benedictione veniunt *Simeon*, & *Levi*; de his incipit prophetia: *Simeon*, & *Levi fratres Gen*. 49. 5. sunt ergo in Zodiaco *Gemini*, in Mythologia Dii fratres, in fabula *Castor*, & *Pollux*. Mater illorum in sacris paginis est *Lia*, horum apud Graecos *Laeda*; *Lia* in scriptura foecunditate ita commendatur, ut Graeci *Laedam* quasi ex ovo genuisse narrent, & filios eius parturientibus patrocinari crederent; *Simeon*, & *Levi* ob inauditam animi in crudelitate similitudinem soli fratres adpellantur inter omnes *Israelis* filios; Hi enim sunt, qui ob *Dinam* sororem violatam in *Haeveos* tam immaniter saeviere, ut Pater illos: *vasa iniquitatis bellantium*, *Gen*. 34. & 49. 5. *dicat*. Ergo Dii bellatores sunt *Castor*, & *Pollux*: Illos *Romanis* inter conflictus discrimina, *Vaninio* post *Persicam* victoriam, *Locriis* cum *Crotoniatibus* confligentibus apparuisse *Plutarchus vit. Coriol*; *Cicero lib*. 2. *nat. Deor.*; *Iustinus lib*. 20. *cap*. 4. Diversis etiam in locis *Pausanias*, aliique testantur. Soror illis fuit *Dina*, His *Helena*, prima Civitati *Sichemorum*, secunda *Troianis* flagitio peperit exitium. *Iacob* dicit de illis *Gen*. 49. 7. *Dividam eos*

in

in Iacob, ut invitis animi puniam consensionem, quod per leviticum sacerdotium adimpletur, per hoc enim tribus *Levi* ab omnibus aliis vivens tribubus, non solum ab hac sed etiam a caeteris separata est, dum proprium illi in *Chanaan* non assignatum est territorium; Nec huius rei oblita est fabula, sed eam alterna fratrum morte, & immortalitate figuravit, ut ex *Homero Hyginus Poet. Astron. lib.* 2. 22. Zodiacus vero per unum eorum tergi vertentem depinxit.

Tertium Iudae Regale *Leonis* signum in eodem Vaticinio ob assignatum ei Regale *Israelis* solium his verbis attribuitur. *Gen.* 49. 8. *Catulus Leonis Iuda; Hercules* ob reportatam a *Leone Theumaesio* victoriam, cui fabula hoc Zodiaci signum adscribit, *Hygin. Poet. Astron. lib.* 2. 24. in *Iudae* nomine, quod *Laudationem* significat, dicitur: יהודה Sic de illo *Israel. Gen.* 49. 8. *Iuda te laudabunt fratres tui;* communis autem in antiquorum fabulis haec est permutatio, ut alicuius nomen adversario tribueretur, & ornamento serviret aenigmatis.

Quartus est *piscis. Zabulon in littore maris habitabit, Gen.* 49. 13. ideo quasi in mari ipso habitasset, ob eius nomen זבלון quod *habitaculum*, vel *habitans* dicit, in apotheosi fit *piscis*, qui apud antiquos in singulari saepius efferri solebat:

Aut eadem sidus fugiens, ubi piscis aquosi
Tristior Hybernas coelo descendit in undas.

 Sic

Sic in singulari *Columella vid. lib.* 11. *c.* 2.

Quintus, nunc est *Issachar*, hic *suppoſuit* iuxta *vulgatam*, aut *inclinavit humerum ſuum ad portandum* ſecundum *Hebraicam* וימ שכמו לסבל *Gen.* 49. *v.* 14. 15. 16. & paulo mutatis *Syriacam*: *Et factus eſt vir agricola* iuxta LXX. Καὶ ἐγενήθη ἀνὴρ γεωργός; *paſtorem* nominat *Samaritana*; *Extendet collum ſuum ad baiulandum*. *Arabica* aſſerit; Portet, vel baiulet, paſcat, vel agrum colat, diverſa quidem phraſis, idem tamen, & in id conveniens ſenſus eſt; quod tribus haec agriculturam, pacemque amaverit, quod per verſum ſequentem unanimiter interpretatum clarius patebit. *Gen.* 49. 15. *vidit requiem, quod eſſet bona, & terra, quod optima*. Infatigatio eius ex nominis etymo: יששכר quod *mercede conductus*, aut *merces* ſonat, ita ut quaſi *mercenarius* ex eo dici poſſit; colligitur. Inter *terminos pacifice recubare* praedicatur. *Gen. Ibid.* Quid tantae pacis, atque laboris amanti promeliori ſymbolo aſſignari potuit, quam *Bos*, vel *taurus*; cuius animalis agrorum cultura petit. Ex bove fit taurus, quia fertilis tribui progenies fuerat. Verſionibus differentibus in prophetia hac tum *aſinus*, tum *Gigas* adpellatur, per quod nil aliud, quam laboris fortitudo oſtenditnr, & eſt, qui candidus auratis aperit cum cornibus annum.

Sextus erit nobis *Dan*; Hic in prophetia *Gen.* 49. 17. *fit coluber in via, ceraſtes in in ſemita, mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor eius retro*, quam prophetiam in *Orione* adumbratam vides, qui, poſtquam va-

ria

ria belluarum genera ad praeliandum contra ſe invitaſſet, a *ſcorpione* ad eius ſuperbiam puniendam e terra *Iovis* manu excitato in planta pedis vulneratur, & occiditur. Vide *Diſſert. X. de Orione Coel.* nec hoc ulteriori eget explicatione.

Septimus eſt tibi *Gad.* Huius vocis radix eſt *Gadad*, גדד & turmatim convenire dicit, inde nomen *gad* גד *turma*, & *guedi* גדי quod *Caper* eſt, derivant. Ideo *Hebraeus* non immerito ſic vertitur. *Gad exercitus turmatim conveniet adverſus eum: & ipſe turmatim conveniet ad eos perſequendos.* גד גדוד יגדונו והוא יגד עקב *Gad gadad iegudenu, vehu ia'ggud acheb* vide *Calm. Com. litt. in Gen.* 49. Perpetua eſt in omnibus alluſio turmae, turma ergo eſt haec tribus, & quod plus eſt, caput turmae, quod *caper* eſt, hebraice, ut dixi, *Guedi;* Non ſine ratione *capri* in Zodiaco nomen obtinuit, qui poſt ſortem iam ſibi trans *Iordanem* aſſignatam cum *Ruben*, & dimidia *Manaſſe* ante fraternas tribus, ut promiſerat, praeliatur, praeit, & armati Dux caper ipſe gregis. *Num.* 22. 17. Quod *Syrus* clarius illuſtrat dicens: *Gad ante cuneum egredietur*. *Bibliot. polygl. Walt. in cap.* 49. ſemper etiam haec tribus turmatim praeliandi modum conſervavit, dum latrocinia tam frequentia exercebat, cui certe turmatim ire competit, ideo LXX. ſic vertunt. Γαδ πειρατηριον πειρατευσει αυτον· αυτος δε πειρατευσει αυτόν κάτα ποδας. *Tentatio tentabit eum, & ipſe tentabit eum ſecus pedes*, & *S. Hieronymus: Gad latrunculus latrocinabitur eum,*

S 4 &

& ipse latrocinabitur plantam. Illuc etiam 1. *Paralipom. v.* 18. *& Oseas* 6. *v.* 8. *&* 9.

Octavus Aser, videamus, an cum *libra* Zodiaci conveniat? Ille est, cuius *panis pinguis dicitur*. *Gen.* 49. 20. quia terra illi vino, & oleo fertilissima obtigit, ita ut fertilitatis suae fructus alii consequenter tribubus emendos distribueret, &, si non errem, forte prae omnibus Regiae tribui *Iudae*, cui montes, & saxea terra, nec alia ratione dictum erit eodem loco. *Et praebebit delicias Regibus:* Nunc ergo venditor factus *Aser*, quis qui sine pondere vendat? quod in mercatoribus tam necessario instrumento, aut signo figuratur. Haec ergo *libra* est, quae diei, somnique pares ubi fecerit horas, aequinoctium nobis elargitur.

Nonus adest *Aries*, qui mihi *Nephtali*; Eius nomen נפתלי dicit *comparatio*, a *Nephtalim*, quod *Colluctationes* significat, per has enim colluctantes comparantur, ita *colluctatio*, *& colluctatus est* in *Kal*, seu activo, pro suo *Niphal*, seu passivo habet *comparationem*. Congredientium autem fortitudo, duraque pertinacia optime semper in *Ariete* exprimebatur, ideo *Aries* machinis ad torquenda moenia inventis & formam, & nomen dedit, ideo *Marti* adiunctus, ideo *Martii* mensis signum, in quo milites in castra hyemalem relinquentes soporem egrediuntur, bella inchoantur, fortia quaeque peraguntur.

Decimus nobis occurrit *Ioseph*, *arcitenens* in Zodiaco, quia Pater de illo dicit: *Sedit in forti arcus eius*. *Gen.* 49. 24. Nec mihi

hi obstat, si sub *Chirontis Centauri* figura depictum videam sagittarium; Scio enim, & colligo ex *Polybio*, *Iul. Caesar. Commentario*, *Choultio*, aliisque antiquae castramentationis monumentis equites antiquorum plerosque sagittarios fuisse; Primos etiam equites rudi gentilitatis infantiae pro Centauris habitos, cunctis notum; mihi probare inutile, vobisque dubitare profanum est.

Vndecimus Beniamin mihi claro collucens lumine *Cancer* erit, qui ideo *Iunio* mensi praefigitur, quia sol hoc mense paulatim a nobis recedit. *Beniamin* autem per retrogradam, cursuique naturae contrariam, inversamque prophetiam *Cancri* nomen apud gentiles meruit. Audiamus, quid de illo Pater. *Gen.* 49. 27. *Mane comedet praedam, vespere dividet spolia*. Quod vere retrogradum est. Quis enim prius comedit, quam dividat? vel quis dividere poterit, quod iam devoravit? Rei novitas ergo ita gentilium animos verberavit, ut qui solus retrogradum benedictionis vaticinium inter fratres accepit, eum solo inter cuncta animalia retrogrado *Cancro* figurarent.

Duodecima restat *Virgo*, aliquibus *Astraea* Dea iustitiae, & aequitatis, quod cum *Dinae* דין nomine, quod iudicans dicit, non male conveniens est. Orientalibus defloratam virginem ducere non commune erat, ideo illam, quia Scriptura nil in contrarium innovavit, innuptam permansisse facillime credam; Haec ergo invite patiens, virgo animo, sed corpore foeda, est, quae victa iacet, quae

quae fratrum caede modentes ultima coelestum terras *Astraea* reliquit.

Primos semper timor erexit Divos, populi *Chananaeorum* post Sichemiticum excidium irati a solo terrore Dei, *qui omnes in circuitu invasit civitates*; *Gen.* 35. 5. *ut non ausi essent persequi recedentes*, retinebantur, licet familia *Israelis* exigua fuisset, ita ut ille etiam timorem suum exinde patefaciat. *Gen.* 34. v. 30. *Chananaeus* horror igitur apotheosin inchoavit, quam prodigia *Iosephi* in *Aegypto* confirmarunt, & *Israel* in ea moriens benedictionibus, & vaticiniis suis perfecit. Somnum pueri *Ioseph: de Sole, Luna, & Stellis* allegoriae nostrae convenit; *Iacob* Sol stellarum domos (sic signorum Zodiaci vocari solent loca, & divisiones) idest: tribus filiorum suorum benedictione sua percurrit; Domus enim semper omnibus populis, & materialis habitaculi, & allegorica familiae aequa fuit significatio.

Nec obiiciat mihi aliquis parvam, momentique minimi, spretamque in *Aegypto* fuisse *Iacobi* progeniem, quia hoc non prius factum est, ut sub iugo servirent, quam sub *Pharaone* longe alio, quam sub quo *Ioseph* salvavit *Aegyptum*, per sapientiam, nutrivit patrem per providentiam, sub quo adhuc *Israel* moritur, filiis benedicit, ac vaticiniis, allegoriisque suis *Aegypti* sapientibus venerabilem denominationum, inventionem, superstitiosaeque apotheosis occasionem relinquit.

DIS-

DISSERTATIO XIX.

Continuatio de Titulis Psalmorum.



On ideo incoepti operis oblitum me crede lector, quia Psalmorum tanto tempore inchoatas tacere vidisti explicationes. Monuit me primo diversitas, ut tuam in sacris intollerantiam mihi saepius notam sublevem, petiit a me urgens tandem, & forte brevi evigilandae intra Apostolicam, & Christianissimam coronam praecedentiae controversiae occasio, prima; ut aliqua Mythologica Mysticis intermisceam, secunda ut ea, quae de nobis necessario innotescenda sunt, publicentur, ac illa, quae hucusque nobis obiici solent, refellantur, nostrumque ius, usque ad nova, quae non timemus, obiectionum commenta securius statuatur.

Modo autem, ubi divina nobis favente gratia, quantum debilitas nostra permisit, ea consumata sunt, non potuimus quidpiam necessarius iudicare, quam canticorum Davidicorum rubricas, quas Tabulae Dissertationis nostrae IX. capere nequiverunt, ab eo igitur discursu reliquas continuata crisis no-

strae

ſtrae Diſſertatione lectoris memoriae tranſmittere.

Notandum tamen nobis erit *primo:* in ultimis duobus Diſſertationis IX. titulis numeros non a me, ut MS. meum teſtificare poteſt, ſed a praelo mutatos fuiſſe, ita ut LX. & LXI. ultimi eius tabulae ſint, quos ibi LXI. & LXII. legis, nobis igitur a ſequenti inchoandum modo, aut potius reaſſumendum ſit noſtrum ratiocinium.

Pſ. LXII. *Pſalmus David: Cum eſſet in deſerto Idumeae.* Quod mendum ex Hebraei littera, melioribus LXX. MSS. & Complutenſi *Iudeae* eſſe optime corrigitur. In qua autem ſolitudine intelligendum ſit, ignoramus, an *in campeſtribus deſerti?* an in *Beniamin*, & *Ephraim*, ut reliqui alio tempore fuiſſe volunt, nimis exiguae, in quamcunque partem te vertas; ambae enim fautores ſuos habent, nobis ſunt rationes, ut quidquam ex eo decidere audeamus; Priori tamen ob 2. *Reg.* 15. *v.* 28. *&* 17. *v.* 16. 29. libentius accedo.

Pſ. LXIII. *In finem Pſalmus David.* Vix quid in hac oratione eſt, hiſtoricum.

Pſ. LXIV. Idem titulus in *Hebraeo*, *Chaldaeo*, & *vetuſtis LXX. Codicibus*, ac *Theodoreto*, & *Hexaplis*. In novis tamen, ac *vulgata* adiungitur dictae rubricae: *Canticum Ieremiae*, *&* *Ezechielis populo tranomigrationis, cum inciperent exire;* alii noviores *Aggaei* apponunt. An forte *Ieremias*, & *Ezechiel* contemporanei facti ſunt? Mihi certe non erunt. Ideo hunc titulum ultra prima cum *Hebraeo* con-

ve-

venientia verba nullius mihi esse auctoritatis fateor.

Ps. LXV. *In finem Canticum Psalmi*. Quod cum *Hebraeo*, *Chaldaeo*, *vetustis LXX. MSS. Hexaplis*, *Eusebio*, & *Hilario* convenit. Vox *Resurrectionis*, quae in his non reperitur, a quodam novatore addita est ob versum. *Qui posuit animam suam ad vitam*. Quod non imputandum, quia huic sensui allegorico eum applicare Christiano non solum non indecens, sed maxime conveniens est.

Ps. LXVI. *In finem in hymnis Psalmus cantici David*. *David* in *Hebraeo* legitur. Pulcherrima de Messiae adventu, & gentium vocatione haec est prophetia.

Ps. LXVII. Idem titulus. Occasio Psalmi non liquet, pulcherrima est gratiarum actio, fervidissimusque divinae gloriae zelus.

Ps. LXVIII. *In finem pro iis, qui commutabuntur David*. Iterum *Lamnazeah sosansim* vid. Diss. meas VIII. & IX. supra, *praefectum super Lilia*, idest instrumentum musicum forte hexacordon vides. In hoc psalmo clarius *Christi* Salvatoris vitam intueor, quam omnem historiae occasionem, aut sensum.

Ps. LXIX. *In finem Psalmus David in rememorationem*; Reliquum antiquis, ac *Hebraeo* hodiedum deest, & est, *quod salvum fecerit eum Dominus*. A plerisque cum sequenti Psalmo coniungitur, quia sensu cohaerere videtur, & sequens titulo caret. Hunc ex Psalmo, quem *Davidi* attribueramus, XII. desumptum ut paucae ex dictis rationibus aucto-

ctorithatis relinquo. Veniamus ergo ad eum qui praecedentis preces continuat.

Ps. LXX. Cuius rubrica: *Psalmus David filiorum Ionadab, & priorum captivorum*, addita esse a plerisque iudicari potest, quia apud LXX. Interpr. legitur. *Epigraphe caret apud Hebraeos, Eusebio* deest, & a *Theodoreto* Ἀνεπίγραφος παρ' Εβραίοις nuncupatur, si tamen aliqua fides inscriptioni huic addenda sit, ex supra dictis iam Rubricam *Ps. LXIX.* repugnare non video. Filii autem *Ionadab* non sunt nisi *Rechabitae* solitariorum antesignani, & antiquissima divinae gratiae in humana fragilitate, gloriosissimaque monumenta. Hunc igitur titulum sic exponerem. Tres aliqui, alii duas *Babylonicas* admittunt captivitates; Priori ergo harum captivitatum, quaecunque sit, captivorum omnium nomine a *Rechabitis* exaratus credendus esset. Quia tamen titulo omnis ab antiquitate tantummodo desumenda deest auctoritas, postquam meum in illo exponendo officium peractum est, hunc cum praecedenti eandem *Davidis* orationem credo, omniumque ferme interpretum unanimi de *Absalomica* seditione sententiae lubens accedo, non tamen statuo.

Ps. LXXI. *Psalmus in Salomonem*, aliqui addunt *Davidis*; Hic igitur est Regiae inaugurationis *Salomonicae* a Patre exaratum canticum; Vnus tamen ex iis est, ubi Auctor spiritu ita abreptus est Prophetico, ut illa, quae de Salomone profert, illi aut plane non, aut ingenti tantum hyperbole convenire vi-

videamus. Meſſiae autem clarius, quam ipſi litterali occaſioni ad haerere credimus; Non inaniter dico, plura enim talia accurrent obſervanda ſaepius.

Pſ. LXXII. *Aſaph. Hebr.* מִזְמוֹר *Cantus ipſi Aſaph.* vel ab *Aſaph*, eiuſve familia, neſcimus an exaratus, an canendus, plurimi ab *Aſapho* ſcriptum putant, ac in Babylonica captivitate exaratum.

Pſ. LXXIII. *Intellectus Aſaph.* Hunc pſalmum de templi everſione, & excidio agere indubitatum eſſe, an autem de *Nabuchodonoſoris*, an de *Romana* indeciſum iudicamus; *Signa noſtra non vidimus, iam non eſt Propheta; Babylonicam* me acceptare impediet, quia in hac nec Prophetarum, nec ſignorum defectus, erat, *Daniel* enim, & *Ezechiel* Prophetae erant, fornaxque igneus prodigium non contemnendum de ſignis non perditis reſpondebat, nec mihi ſolvere putarem eum, qui dicit: Has fuiſſe *Iudaeorum* quaerelas quia *Prophetas* ſuos non videbant, *Daniel* enim in aula Regia habitans non cuilibet tam facilis, ut volunt, fuit acceſſus populo, cui mos erat magnum Prophetarum numerum, ſibique omni occaſione familiarem habere; Si etiam quid ſimile fabulari permittam, quomodo verum erit: *Signa noſtra non vidimus;* non fuere forte publica fornacis igneae, *Suſannae* liberationis, *Nabuchodonoſoris* in brutum metamorphoſis, portenta. Quod autem de *Romanorum* excidio optime convenit, ubi preces *Iudaeorum*, & clamitus: *Leva manus tuas in ſuperbias eorum infinem, quanta malignatus eſt*

eſt inimicus in Sancto, non defuere; Licet hae preces ob traditum ab ipſa Divina iuſtitia flagellum in manus *Romanorum* exauditae non fuerint, tamen Spiritus Sanctus haec *Aſapho* inſpiravit, ut ob ſimilitudinem ſuarum infructuoſarum quaerelarnm tanta Romanorum crudelitate adimpletam, neque, ut in *Babylone* exauditam vaticinii eo facilius veritatem agnoſcerent. Loquitur enim ille videns in ſpiritu *Romanorum* crudelitatem, quam *Hieroſolymis* exercent, ac admirando non ſolum interrogat *Iudaeorum* nomine, an non ceſſabit? ſed eorum more, & zelo patriae rogat, ut licet illi in punitionem excitati ſint, tamen ob ſuos exceſſus etiam ipſi poſtea puniantur, quia non ſolum in Iudaeos pugnare, ſed & Deo vero, & maximo improperari videntur.

Pſ. LXXIV. *In finem, ne diſperdas, Pſalmus cantici Aſaph*. Sic *Vulgata*, *Hebraeus* autem: *Victori*, ſeu *Praefecto*, *ne corrumpas*, *cantus ipſi Aſaph Canticum*. Ideo *Symmachus*. Ἐπινίκιον περὶ ἀφθαρσίας, Ψαλμὸς Ἀσάφ. Quare poſtea *Pſalmus reſurrectionis ab Euſebio*, *Athanaſio*, *Euthymio* reputetur, hic ad vitae alterius immortalitatem, & univerſale Iudicium refert; Sed merae ariolationes. Quod ne *diſperdas*, aut *corumpas* ad mali alicuius declinationem ſit, unicum ſecurum eſt; Reliqua indefinita relinquamus.

Pſ. LXXV. *Canticum ad Aſſyrios*. Non ad *Sennacheribbi* ſub *Ezechia* cladem pertinere oſtendit *Hebraeus: Praefecto in modulis cantus ipſi Aſaph canticum*. Quomodo *Aſaph* cum

Sena-

Senacheribbe conveniet; Si propheticum, & Messiae victorias in paganos dicas Rabbinos sequeris, & male ob nomen tribuum *Israelis* separatornm, quae iam interiere; *Asaphi* Classis Praefecto pertinet, & *Assyriorum* cladi non male convenit.

Ps. LXXVI. *In finem pro Idithun Psalmus Asaph*. Ex *Hebraeo* sic explico ab *Asaph*, aut ex eius classi quopiam compositum, ac Praefecto Classis *Idithun*, ut caneretur, missum esse. Sic ubique ex nostris Codicibus. Ridiculum est *Idithun* numeros musicos fuisse, ut vult *Muisius*, & *Abenezera*; *S. Hieronymus* in antiquis vocem *Idithun* absuisse dicit, ad nos usque autem nulli horum pervenere; Reliqua, qui fingit, explicet.

Ps. LXXVII. *Intellectus Asaph*. Hic Psalmus est eruditionis causa *Intellectus* nuncupandus, quia de *Iudaeorum* erudit Historia, multa autem continet, quae Davidicae aetatis multo posteriora fuere, ideo sub posterioribus Regibus ad *Asaphi* Classim ob compositionem, aut ut canatur, pertinet.

Ps. LXXVIII. *Psalmus Asaph*. Hic certe *Babylonicae* captivitati tribuendus erit, ergo familiae *Asaphi*, non primo eius parenti.

Ps. LXXIX *In finem, pro iis, qui commutabuntur: testimonium Asaph*. Littera Hebraica nobis dicit: *Prefecto super* sosannim שׁשׁנים *liliis testimonium ipsi Asaph Canticum*. Diximus in tit. Ps. 44. Diss. 9. *Sosan* שׁשׁ exultationes esse; liberationem petit afflictus populus, atque tristitia repletus orat pro hilaritatibus.

Ps. LXXX. *In finem*, seu ut Praefecto *pro torcularibus*, vid. tit. *Ps.* 8. *in Diss.* 9. e familia *Asaph*. Populus ad *Neomeniam* celebrandam excitatur.

Ps. LXXXI. *Psalmus Asaph*. Iudicum iniquorum punitio praedicta.

Ps. LXXXII. *Canticum Psalmi Asaph*. De bello multorum populorum in Iudam coniunctorum omnino explicare decens est, an de Davidi in *Ammonitas*, aut *Iorami*, aut *Ezechiae* nequaquam decidendum.

Ps. LXXXIII. *In finem* Praefecto, *pro torcularibus*, *filiis Corah Psalmus*. Foelicitas Levitarum ob propinquitatem Tabernaculi.

Ps. LXXXIV. *In finem* Praefecto cantorum *filiis Corah Psalmus* gratiarum actio pro reditu ex captivitate.

Ps. LXXXV. *Oratio ipsi David* titulus hic ab aliquibus reiicitur, quia hic Psalmus omnibus ante, & post illum, quos videmus, filiorum *Corah*, Psalmis sensu, materia, & phrasi conveniens est. Vid. *Calmet* in hunc Psalmum.

Ps. LXXXVI. *Filiis Corah Psalmus Cantici*. Novae Ierosolymae post captivitatem *Babylonicam* historica, Ecclesiae nostrae mystica descriptio est.

Ps. LXXXVII. *Canticum Psalmi filiis Corah infinem pro Maëleth* (*Hebr.* Praesidi super infirmitate) *ad respondendum Intellectum Eman Ezrai* a*c*. מחלות *Mahalath* rectissime pro radice חלה *Infirmitas*, sed quando Praefectus, aut praeses pro infirmitate constitutus erat, non legimus, nisi medicorum familiam inter

Levitas

Levitas forte fingere velimus, cuius certe in Sacris paginis nulla mentio erit; Ad evitandum ergo, ut non per litteram Pſalmi in aliquam abſurditatem cadere cogamur, cum *Diſſ.* 9. *tit. Pſ.* 52. ubi idem occurrit, aliquem errorem irrepſiſſe vix dubitemus, atque ut in tit. *Pſal.* 5. *Diſſ.* 8. נחילות ex radice חול *foramen* vel הלל *tibia* cenſemus; Et inde ſic explicamus: *Canticum Pſalmi filiorum Corah Praefecto tibia canentium ad reſpondendum*, ſeu alternis vicibus canendum *Carmen erudiens Eman Ezraitae*. Niſi forte vocem *Mahəleth* ob radicem *infirmitatis* veiis moeſti alicuius inſtrumenti eſſe denunciationem, quod cum triſtiſſimo huius cantici ſenſu, & intercalari canendi modo per illud: *ad reſpondendum* deſignato optime quidem convenit, ſed quia eandem vocem ad Pſalmum 52. inveni, qui nil minus quam alicuius triſtitiae argumentum dedit, in hanc contradictionem hic inſtrumenti muſici pure ad infirmitatem, aut triſtitiam conſueti, ibi per eandem vocem laetiſſimis in choreis applicati nequaquam conſentire valeo, ac priorem meam ſententiam de tibiis, quae ambabus in occaſionibus ſemper deſerviit, confirmo. *Eman Ezraita* eſt ille tympaniſtriarum Magiſter, cuius mentio tot locis fieri ſolet tam, quia in muſicorum coetu excellens extiterat. 1. *Par.* 15. ex Levitarum progenie, & ſtirpe *Merari* 1. *Par.* 6. filius *Ioëlis Ibid.* & 1. *Par.* 25. quam ob ſapientiam ſuam, ob quam non ſolum *videns Regis* 1. *Par.* 25. appellatur. Sed & *Salomoni* ipſius ſapientiae

ad comparationem deſerviit . 3. *Reg*. 4. *v*. 31. Tympana etiam tibiis ſociare ſoni natura petiit, & perfectio. Pſalmus hic alias nil aliud eſt, quam hominis malis oppreſſi canticum cuilibet occaſioni applicandum. Qui I. C. hic inveniunt, pie optimeque loquuntur, alia hiſtorica argumenta exinde fabulari nolo.

Pſ. LXXXVIII. *Intellectus Ethan Ezraitae*, Non autem *Iſraelitae*; Sic legunt veteres teſtibus. *Edit*. *Rom*; Complut. S. Auguſtin. Hieronym. Caſſiodor. Athanaſ. Theodoret. Codicibus antiquis Regiis, & Colbert apud *Ferrandum* hic. *Ethan Ezraita* ille ſapiens fuerat, quo ſapientiorem fuiſſe ſcriptura nominat *Salomonem* 3. *Reg*. 4. *v*. 31. Poteſt autem facilius hic Pſalmus alicuius diverſi *Ethani* ab illo *Salomonico* fuiſſe, quia virorum magnorum nomina maxime in eorum familiis remanebant, ſaepiuſque in generationibus poſteriorum repetebantur. *Ezraita* etiam hic pro *Orientalis* fabulatur, quia זרח Radix *Oriri* dicit, ideoque *Abrahamum* latere ſibi fingunt, ſed ridicule. Miſericordias, & potentiam Dei hoc Canticum exaltat.

Pſ. LXXXIX. *Oratio Moyſis hominis Dei*. Per *hominem Dei* hic *Moſeh* non *Levitam* ex *Moſeh* poſteris quendam, ſed ipſum legislatorem indigitari nullus dubitare poteſt. Voluit *S*, *Hieronymus ad Cyprian*., & *Origenes apud Hieron*. *t*. 2. *contra Iovini*. *Pag*. 137. *Salomon*. *Iarchi*, *Kimchi*, modernique Rabbinorum fere omnes hunc, & decem ſequentes ex Pſalmis a *Moyſe* compoſitos eſſe, ac qui

in

in iis nominatur, *Samuelem* prophetico ſpiritu *Moyſi* revelatum eſſe, & per canticum nobis innoteſcere ; Male autem Obiectioni huic Chronologicae *S. Auguſtini in hunc loc.* ſic reſpondit ; Primo apte *Bellarminus hic* animadvertit, ſeptuageſimum, octuageſimumque annum pro ſummo ordinarii curſus vitalis ſtatui, quod *Moyſis* aetati applicari nequaquam poſſet, ubi ipſe *Moſeh* centeſimum vigeſimum attigit *Deut. cap. ult.* nec hoc quidquam extraordinarii eſſe putandum eſt, frater enim eius *Aaron* octaginta trium annorum erat, dum in Summum Sacerdotium a Deo eligeretur, *Exod.* 7. nec certe decrepitos Duces dedit populo ſuo Deus, illo tempore, quo laborioſiſſimum onus erat *Iſraëli* praeeſſe ; ad *Samuelis* mentionem propheticam in *Pſ.* 98. dico : *Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui invocant nomen eos. Invocabant* Dominum, *& ipſe exaudiebat eos, cuſtodiebant teſtimonia eius &c.* quis Auctorem hic non narrare dicet? aut quis potuit tam diſſitos *Moyſem*, & *Samuelem*, niſi in praeterito, auctorque ambobus multo poſterior coniungere? nec obſtat exemplum 3. *Reg.* 13. ubi Prophetae nomen Regis *Ioſiae* revelatum eſt dicenti : *Naſcetur filius Domui David Ioſias nomine*, haec enim fuit manifeſta praedictio de futuro ad deterrendum ab idolatria *Ieroboam* neceſſaria ; Non ſolum Regula a *S. Hieronymo* ſtatuta de Pſalmis ſequentibus, ſed nec hic ut *Moyſi* attribuatur, placere poteſt, quae omnia *Genebrardo, Bellarmino, Euthymio, Regio, Ludolfo,*

 dolfo,

dolfo, *Caietano*, *Gartiae* omnibusſque ferme modernis criticis iam diſplicuere. Ratio autem, quare hic pſalmus *Moyſis* nomen praeſeferat, erit quod Auctor Pſalmi, quem tamen cum *Bellarmino*, qui omnes ut ſupra dixi Prophetae Regio attribuit. *Vid. Diſſ.* 8. *Davidem* tam audaciter nominare vereor, *Moyſem* in hoc Pſalmo loquentem introducere velit. Ideo autem hoc forte factum eſt, quod ipſe mundi creationem, peccatum primorum parentum, & poenas inde ſecutas ſcripſerit, ac argumentum huius pſalmi oratio ſit ad Deum pro humano genere, quod ob peccatum primorum parentum in maximas incidit calamitates, & auxilio gratiae aſſidue indiget tum, ut vitae aerumnas facilius tolleret, tum ut ad gaudia ſempiterna perveniat. *Vid. Bellarm. hic*.

Pſ. XC. *Laus Cantici David*. Quod a LXX. additum videmus, qui Pſalmum in *Hebraeo* titulo carere fatentur dicentes: Αἶνος ᾠδῆς τῷ Δαυΐδ, ἀνεπίγραφος παρ᾽ ἑβραίοις. Ex Regula a me toties reiecta de pſalmis, qui titulo carent a S. *Hieronymo*, *Hilario*, & Rabbinis *Moyſi* attribuitur. Morale quidem carmen cum *Calmeto*, ac pro nullo authore decidendum puto, ſed cum *Muiſio* eo vix quidquam ſolidius, ac ſplendidius ſcriptum. *Id. hoc loco*. ſaltem in *Hebraeo* cenſeo.

Pſ. XCI. *Pſalmus Cantici in die Sabbathi*. Quidam ſunt, qui millenarium Regnum Chriſti errorem iam ab Eccleſia Sanctiſſime damnatum, hic ſed inepte fundare cupiunt. Alii qui *Moyſi* attribuunt, vix quidquam boni dicunt;

cunt; Nec in hoc Pſalmo eſt, ut autor tempuſque exinde ſtatui critice poſſit. Si ergo cum plurimis e Patribus eum morale carmen, de iuſtorum foelicitate, futuraque vita dicamus, optimum elegimus, ſi autem eum forte Sabbathi die in templo ideo modulatum fuiſſe addamus, quod Sabbatum iuſtorum aut quies Sabbatho hebdomadario praefiguratum, futura vita, quieſque ſpiritualis firmetur, nil ſecurius quidem dicimus, ſed nec erramus, aut quoad aedificationem melius arguere poſſumus.

Pſ. XCII. *Laus Cantici ipſi David, in die ante Sabbathum, quando fundata eſt terra. Hebraeus* titulo caret, ideo vetuſta LXX. Exemplaria anepigraphum eſſe monent. Qui rubricam hanc addidit, certe illum laudis carmen creationem, ut Domus aedificationem figurarunt, ut etiam moderni Rabbini mundum quaſi Domum trilateram & litteram ב quae Domus dicit, explicare ſolent. Hunc autem Pſalmum, ut & proximum, appendicem eſſe prioris, qui hominis iuſti foelicitatem depinxerat, meo iudicio non male monuit *Calmetus*.

Pſ. XCIII. *Pſalmus ipſi David, quarta Sabbathi. Hebraeis* anepigraphus eſt, nec forte a LXX. additus, ſed a recentioribus iuxta *Theodoretum* intruſus; In templo IV. hebdomadis die, ut videmus, canebatur, nec reliquis fabulis reſpondendum eſt.

Pſ. XCIV. *Laus Cantici ipſi David.* Quod ſine titulo eſt *Hebraeis*, hic omnibus tam Iudaeis, quam Chriſtianis convenit, quia ad

Divinas laudes corde, verbo, & opere exarandas invitat, dignissime igitur exinde Canticum Invitatorium desumtum est horis Canonicis Breviarii Romani praeponendum, & authoritate *Pii* V. confirmatum, licet in monasticis etiam post Concilium Tridentinum impressis iuxta vulgatam Psalmus remanserit, ac etiam in horis idem repetatur.

Ps. XCV. *Canticum ipsi David, quando domus aedificabatur, post captivitatem*, in *Hebraeo* & iste sine titulo est, illum vel ab *Esdra* vel a LXX. additum volunt aliqui, sed rectius recentioribus tribuitur, a *Theodoreto*, *Apollinario*, *Lyrano*, & modernis; Pars est Psalmi CIV. ut 1. *Paral. cap.* 16. testatur, in eo enim pro cantico festivo modulatur, dum arca ex aedibus *Obededomi* in Sionis tabernaculum deferretur, ideo etiam forte hac secunda parte demum *Esdrae* tempore secundi templi dedicationem usi sunt, quod tum pompae festivitati tum reditus hilaritati aptissime convenit.

Ps. XCVI. *Psalmus David, quando terra eius restituta est.* Et hic veterum Codicum LXX. testimonio apud *Hebraeos* anepigraphus est. De Psalmi huius occasione cum nullo, quidcumque dicat, nequaquam disputo, nec quidquam probabilius alteri esse video; Secundum tamen Christi Iudicis gloriosissimum adventum, extremumque Iudicium in eo mihi describere soleo, cui integer Psalmus mire convenit.

Ps. XCVII. & XCVIII. *Psalmus ipsi David*. *Hebraeus* nil dicit, nisi מזמור. *Cantus* aliqui

aliqui titulum Psalmi XCV. hic repetunt; Litteralem nec hic satis clare probatum video, ut quidquam in eo decidam, mysticum de *Christi* adventu & Catholici, & Iudaei non negant. Inest illi de *Samuele v.* 6. narratio, quae Regulam de Psalmis anepigraphis proximo priori titulo attribuendis everterat vid. *Supr. Diss. VIII. Diss. IX. tit.* 2. *& Diss. XIX. tit. Ps.* 89. *& seqq.* Ideo nec hic *Moysis* esse potest. In urbis vel secundi Templi dedicatione cantatum apte *Calmetus*; quod confirmare videtur Psalmus sequens, qui huius appendix fuisse creditur.

Ps. XCIX. Licet hic iuxta *Theodoretum* antiquis *Hebraeis* anepigraphus fuerit, tamen modernis ubique eandem rubricam praefert. *Psalmus pro confessione*, aut gratiarum actione, haec enim forte prioris cantici appendix eam, quae in novi templi instauratione necessaria erat, continet.

Ps. C. *Psalmus ipsi David*. Sic & *Hebraeus*, addunt vetusti codices: *Quaternioni Sabbathum, ut Theodoretus, & Basilius in hunc loc.* quod diceret pro quarta hebdomadae die. Melius autem doctissimus *Muisius* hic illum *Speculum Principum* vocat, & *Iosiae* Regis pietati, notaque in Idololorum Sacerdotes zelo undique convenit.

Ps. CI. *Oratio pauperis, cum anxius fuerit, & in conspectu Domini effuderit precem suam.* Ideo a Patribus, & plerisque interpretibus aut *Danieli*, aut *Ieremiae* in captivitate degentibus prophetis, ab aliis Populo *Israelitico* in *Babylone* captivo tribuit; a quo

exaratus sit nescimus, cuilibet horum captivorum anxietatis sensus convenit.

Ps. CII. & CIII. *Ipsi David*. Secundus in *Hebraeo* titulo caret, in LXX. *Com lut. Edit.* & *S. Athanas.* Ψαλμος τω Δαυιδ υπερ της τȣ κοσμȣ συστασεως. *Psalmus ipsi David de mundi creatione*. Communiter, autem CII. appendix fuisse statuitur. Qui omni gratiarum actioni maxime autem Davidi a morbo liberati optime convenit, quam confessionem iste continuare videtur.

Ps. CIV. *Alleluia* 1. *Laudate Dominum vid. sup. Diss. I.* quod tamen non ad huius Psalmi initium, sed ad finem praecedentis apud antiquos pertinet, sic Hebraeus, & LXX. testantur, eo magis quo *Arabs*, & *Syrus*, qui *Alleluia* in titulis, si omnia ommittant, addere solent, illud hic non nisi ad calcem prioris moneat. Hic Psalmus prima pars est Cantici ob arcam ex Domo *Obededomi* in *Sionis* Tabernaculum translatum exarati, ut supra ad Psalm. XCV. monui ex 1. *Paral. cap.* 16.

Ps. CV. *Alleluia*. Quod duplex ponitur ab aliquibus, iam autem communis S. *Hieronymi* Regula est, ubicunque *Alleluia* duplex in fronte Psalmorum inveniatur, unum eorum ad calcem praecedentis pertinere, quod etiam hic *Hebraeus*, aliaeque versiones testantur. Hic Psalmus CIV. est continuatio, ubi enumeratis in priori Dei beneficiis provocata populi sceleribus supplicia in hoc ostenduntur, uti etiam. 1. *Paral.* 1. *v.* 34. 35. 36. testantur.

Ps. CVI.

Pſ. CVI. *Alleluia*. Quod nec in *Hebraeo*, *Chaldaeo*, nec vetuſtis LXX. Codicibus legitur, ſed ad calcem prioris invenitur cum *Amen* coniunctum ubi *Arabs:* Amen, Amen, Alleluia. Hic Pſalmus eiuſdem originis, & argumenti, ac idem eſt cum CIV. & CV: in eo differens, quod non tantum Divinae providentiae bona in *Iudaeos*, ut priores, ſed & in univerſum genus humanum enarret.

Pſ. CVII. *Canticum Pſalmi ipſi David*. Seu *Davide* mutuatum, nam ex primi verſus e Pſ. LVI. reliqui Pſ. LIX. fine deſumpti ſunt. Cur autem ex duobus illis hic ita conflatus ſit, diſplicet mihi *Bellarmini* coniectura: hoc ideo factum eſſe a compilatore Pſalterii, ut Pſalmorum 150. numerus eveniat, quia dubito, an non ea tempeſtate forte ex tot centenis a tantis vatibus uti & *Salomone* exaratis canticis plura, quae nobis deſunt, ſuper fuerint, ac ſtatutum ſibi ab illo numerum efficere potuiſſent. Dicam potius cum *Calmeto* vatem hic gentis ſuae reditum trans *Euphratem* in *Babylonica* captivitate poſtulare, apteque e Pſalmis ſupra nominatis mutuatis ſibi verſibus uti.

Pſ. CVIII. *In finem*, ſeu Praefecto muſices, *Pſalmus David*. Hic Pſalmus graviſſime in *Davidis* hoſtes, & proditores invehit, qui figura fuere *Iudae* Apoſtoli infelicis, quo etiam *Act.* 1. 20. huius Pſalmi verſiculus 7. applicari videtur. Eccleſia etiam terribilibus huius cantici increpationibus in Epiſcopis exauctorandis, terrendiſque bonorum eius raptori-

ptoribus utitur; Superſtitioſi, ſic dictis magicis artibus eondem Pſalmo famulari fabulantur.

Pſ. CIX. *Pſalmus Davidis*. Carmen hoc Regis inaugurationem celebrat, ſpiritus autem vatis ſublimes adeo oſtendit inſpirationes, ut multis interpretibus, aliter quam in *Allegorico* interpretari profanum videatur, ac *Allegoricum* ipſum litteralem eſſe velint, eo magis quo S. Apoſtoli eo *Act.* 1. 34.; 1. *Cor.* 15. 25. *Hebr. variis locis* pro Meſſia uſi ſunt. Si etiam hoc forte non ſatis pro litterali decidat, ſufficit tamen, ut quemcunque de tanta, clariſſimaque, ac Apoſtolicis oraculis confirmata in hoc Pſalmo prophetia Chriſti gloriae dubitare videmus, omnium SS. Patrum conſenſu pluſquam contumacem, ac Haereticum, Iudaicaeque perfidiae ſimillimum declarare iuſtiſſime valeamus.

Pſ. CX. & CXI. *Alleluia* nonnulli codices addunt in ambobus, *Reverſionis Aggaei & Zachariae*, vulgata tantum in CXI. *Hebraeus* noſter in nullo; Sufficit hoc tamen, & ſenſus cantici conveniens, ut non ſolum argumentum Pſalmi in eo videre *Beda*, *Ferrandus*, *Choiſy*, *Calmetus* voluerint, ſed & nos cum pleriſque poſteriorem prioris appendicem aut continuationem eſſe libentiſſime admittamus.

Pſ. CXII. *Alleluia*. Hic, & quinque ſequentes a Iudacis *Magnum Alleluia* vocati paſchatis nocte canuntur? Hic Pſalmus poſt reditum e captivitate exaratus dicitur, eo magis, quo *Euſebius* hic in Rubrica legit. *Pſalmus Aggaei, & Zachariae*.

Pſ. CXIII.

Ps. CXIII. *Alleluia*. Quod in *Hebraeo* non adest, sed ad calcem prioris ponitur, praeterea Psalmus hic in duos dividitur, ita ut secunda a versu nono. *Non nobis &c.* inchoet, tamen omnes modernae versiones, & ipsi vetusti *Hebraeorum* Codices *Kimchi* teste, *vid. Ialchut* divisionem nullam admittunt. Occasionem huius Psalmi, ubi Exitus Israelis de *Aegypto* narratur, non statuam, hoc tamen *Moysem* hoc carmen non recitasse, sed posterioribus *Israelis* vatibus, tum ex modo, quo transitus eorum, ut res longe praeterita in memoriam revocatur, tum ex differenti a tanta antiquitate se exprimendi phrasi concludam.

Ps. CXIV. CXV. & CXVI. *Alleluia*. Duo priores Psalmi in *Hebraeo*, *Chaldaeo*, *Syro*, *quinta & sexta Hexaplarum* idem esse ostenduntur. Hos Psalmos in captivitate exaratos *Caldaica v.* 7. *&* 12. phrasis ostendit, ut *Hammondus*, *Beda*, *Corderius Paraphrastes Graecus* apud *Calmetum* animadvertunt. Ideo igitur *Babilonicae* captivitatis mala, & liberatio a *Cyro* concessa ambobus canticis exprimitur, cui etiam tertius ut appendix argumento, & tempore iungitur.

Ps. CXVII. *Alleluia*. Quod *Hebraeus* ut ordinario ad calcem prioris antevertit; *Calmetus* doctissimis coniecturis post *Babylonicam* captivitatem, dum Dominus Iudaeorum noviter reversorum hostes disperderet, exaratum esse hoc carmen Eucharisticum disseruit.

Ps. CXVIII. *Alleluia*, quo caret *Hebraeus*. Hic Psalmus ita acrostychus est, ut pro quali-

bet

bet littera integer octonarius statuatur, in quo omnes versiculi ab ea littera incipiunt. Hic Divinae legis, mandatorumque Dei amorem optime legentibus inculcat, ac *Danieli* ob captivitatis, & persecutionis in conspectu Regum mentionem v. 61. 110. 134. aliaque similia attribuitur.

Ps. CXIX. CXXXIII. *Canticum graduum.* Hic omnibus his quindecim canticis communis est titulus, ideo *Psalmi graduales* dicuntur. *Hebr.* שיר המעלות Scriptorum diversitas in exponendis suis graduum coniecturis effecit, ut doctissimus *Calmetus* ad huius Psalmi rubricam integram voluerit Dissertationem apponere, in qua omnia tum super gradus Commenta, tum supra Hebraicam vocem *Hamahhbaloth* interpretationes recenseat. Si *gradus* effectivos velis, primi occurrunt in *Iosepho de Bello lib.* 5. *cap.* 14. Gradus 15. a muro, qui mulieres segregabat, ad portam, quam maiorem dicebant. Sed ibi Levitas nunquam cecinisse apposite statuit Doctissimus *Calmetus*, quia proprius canendi locus in atrio Sacerdotali fuerat. Secundo ii, qui ad vestibulum Sancti ferebant, sed hi tempore *Ezechielis* erant octo, tempore *Iosephi* duodecim, quid *Salomonis* aetate fuerit, nescimus, sed nec hos Psalmos ad id tempus pertinere, clarus de Captivitate *Babylonica* sensus nos optime instruit. Tertio nobis obtruduntur gradus totidem ex urbe in templum in quibus Levitam excubias agentem cecinisse volunt, sed quomodo hac-

hoc commentum fabula peius probabitur) Quid eſt in Pſalmis, quod vel aſcenſui ab urbe, aut dictis congruat excubiis. Quarto ridemus eos gradus, aut lineas horologii *Achaz* fieri. Pſalmos *aſcenſuum* & elevationis volunt alii, narrando in ſecundo templo ſuggeſtum quoddam fuiſſe, in quo hi Pſalmi canantur. Hoc modice melius; admittam enim tale ſuggeſtum fuiſſe, ſed quis mihi graduum numerum, hoſque eoſdem Pſalmos ibi decantatos fuiſſe demonſtrabit? *Hieronymiaſter hic:* vult quindecim fuiſſe in templo dignitatum gradus, cui quilibet ſuus locus, & Pſalmus deſtinabatur, igitur eorum extremus Supremi Pontificis fuerat; Cui certe potius CXXXI. quam CXXXIII. conveniret. Sed quae fabula? Volunt Rabbini cum *Nardia* Pſalmos *elevationis* toni nempe altioris eſſe, aut dictum *Mabbbalath* muſicum fuiſſe inſtrumentuw. Dicam hos gradus eſſe *aſcenſuum*, ut multi vocem ipſam *graduum* legunt Α'σμα των αναβασειον. *Theod.* Εις τας αναβασεις *Aquila*, & *Symmachus*; Sic Canticum *aſcenſuum*, ſeu pro *aſcenſibus* dicam, commune enim fuit reditum in *Ieruſalem* a *Babylone* phraſi *aſcenſionis* exprimere; Sic legimus ubique uti verba *Cyri* Regis 1. *Eſdr.* 1. 3. 5. 11. *Quis eſt in vobis de univerſo populo eius? Sit Deus illius cum ipſo, Aſcendat in Ieruſalem, quae eſt in Iudaea &c. Demum, & ſurrexerunt ut aſcenderent ad aedificandum Templum Domini, quod erat in Ieruſalem: Pona univerſa tulit Saſabaſſar cum his, qui aſcendebant de tranſmi-*

ſmigratione Babylonis in Ieruſalem. *Ibid.* 2. *v.* 1. *Hi ſunt autem provinciae filii, qui aſcenderunt de captivitate, quam tranſtulerat Nabuchodonoſor Rex Babylonis in Babylonem, & reverſi ſunt in Ieruſalem & Iudam*. *Ibid.* 7. *v.* 6. *e* 9. *Ipſe Eſdras aſcendit de Babylone*. Et *primo die menſis primi coepit aſcendere de Babylone* ideo hic dies primus recte fundamentum fuit *aſcenſionis*. Sic etiam Pſ. CXXI. nos monet: *Aſcenderunt tribus &c.* Eo magis, quo non ſolum ob excellentiam Tabernaculi & habitationis Divinae, quam ſibi elegerat Dominus, ſed etiam ob ipſam ſituationem montium *Moria*, & *Sion* quibus innitet, aſcendere rectiſſime dicamus Iudaeos, qui veniunt *de profundis Babylonis*, quod non male tum ob ſituationem, quam, quod magis eſt, ob ſcelerum abyſſum occaſionem dedit *Chaldaeo* legendi: *Canticum in gradibus abyſſi*, & Rabbinis inſignem fingendi fabulam de aquarum vena quindecim millium cubitorum altitudine aſſurgentium. *Argumentum*, & tempus eſt Captivitate *Babylonica*, fuſae in ea preces, totaque liberationis hiſtoria, mire expreſſa. Pſ. CXXII. CXXIV. CXXXI. CXXXIII. quidem *Davidis*, uti & CXXVI. *Salomonis* nomina praeſeferunt in *Hebraeo*, quae autem nec in LXX. nec vulgata leguntur, igitur non ſolum apocryphorum ſuſpicionem ſuſcipiunt, ſed & merito ob nimis claram de Captivitate *Babylonica*, ſecundoque templo ſenſum reiiciuntur, nobiſque nullo plane modo obſtare videntur.

Pſ.

Ps. CXXXIV. CXXXV. *Alleluia*. Quorum secundum in *Hebraeo*, & *Chaldaeo* more solito non ad frontem postremi sed calcem prioris ponitur. Exhortationes sunt ad celebrandas Dei laudes, ac Maiestatem, idem in ambobus sensus est, tantum quod in secundo cuilibet versiculointercalaris : *quoniam in aeternum misericordia eius* interponatur, quae forte Ecclesiae nostrae litaniis originem dedisse potest. Multa hic e capite decimo *Ieremiae* desumpta nos monent, ut haec duo cantica post captivitatem Babylonicam exarata velimus.

Ps. CXXXVI. *Psalmus David*, Sic LXX. *Ieremiae*, vel ut alii, nec melius addunt *propter Ieremiam*. *Hebraeus*, & *Chaldaeus* titulo semper *Theodoreto* teste caruit. Primus versiculus : *Super flumina Babylonis illic flevimus*, *& sedimus* cum *Paraphraste Graeco* temeritatis damnat illos, qui primi *Ieremiam* hic adiicere voluere, nec male, quia *Ieremias* certe nunquam *Babylone* fuerat. Est ergo post captivitatem exaratus, ac Iudaeos sacra cantica in profana urbe canere renuentes depingit.

Ps. CXXXVII. *Ipsi David*, addunt LXX. *Aggaei*, & *Zachariae*, quod in *Hebraeo*, ac *Chaldaeo*, multisque *Graecis* codicibus deest, cui igitur nec *vulgata*, nec *Interpretes* iuxta a me datas *Diss. VIII.* regulas nisi exiguam tribuunt aucthoritatem; Carmen est *Eucharisticum* post captivitatem *Babylonicam* decantatum.

Ps.

Pſ. CXXXVIII. *In finem*, ſeu Praefecto Muſices, *Pſalmus David* addunt LXX. *Pſalmus Zachariae in diſperſione*, vel *propter diſperſionem*, alii *Alleluia Zachariae*; Elegantiſſimum, profundiſſimumque carmen eſt, quod ob voces *Chaldaicas* a *Quiſtorpio in verſibus* 2. 3. 7. 9. 19. 20. *cum Dan. cap.* 2. *v.* 29. 30. *cap.* 4. *v.* 16. *& cap.* 7. *v.* 28. *collatis* inventas poſt Captivitatem *Babilonicam* pertinere ſtatuimus.

Pſ. CXXXIX. *In finem Praefecto muſices Pſalmus David*. Quidam *Davidi* a *Ziphaeis* perſecutionem ſuſtinenti, alii *Ezechiae* ob ſenacheribbum, tertii Captivitatem *Babylonicam* in hoc cantico intuentur, vix non ultimis potius adhaererem.

Pſ. CXL. *Pſalmus David*. Oratio, ut faciles Deus Pſalmiſtae praebeat aures: Ante *Babylonicam* Captivitatem exaratam eſſe convenient omnes. Vix quid aliud de eius argumento, vel auctore dicere auderem ob difficillimam eius explicationem.

Pſ. CXLI. *Intellectus David, cum eſſet in ſpelunca, Oratio*. Quam aliqui *Odollam*, alii *Engaddi* diſcrimen hic indigitare putant, ſed plures ſecundo adhaerent; *David Chriſti* figura, & vaticinium hoc nos canticum Paſſioni Domini noſtri applicare rectiſſime permittit.

Pſ. CXLII. *Pſalmus David, quando perſequebatur eum Abſalom filius eius*. In *Hebraeo*, *Chaldaeo*, vetuſtiſque Pſalteriis nil legitur quam: *Pſalmus David*. Teſtibus *Origene*, & *Theodoreto*; Graecorum tamen eſſe additionem mi-

minime dubitat S. *Hilarius*, nec sensus vetat. *David Christi*, *Absalom Iudae* figura comuniter ponitur.

Ps. CXLIII. *Psalmus David, adversus Goliath*, quam additionem licet *Hebraeo*, *Chaldaeo*, *Hexaplis* vetustisque LXX. Codicibus desit, tamen ab his divino Numine afflatis provenire vult S. *Hilarius*; Magna cum Ps. XVII. affinitas Davidem pace undique obtenta post superata *Saulis*, *Goliathi*, *Absalomi* discrimina exaratum suadet.

Ps. Laudatio ipsi David. Divinas proprietates, & elogia; Nobilissima continet vocationis gentium, & *Christi* Regni vaticinia.

Ps. CXLV. *Alleluia*. *Aggaei*, & *Zachariae*. Quorum nomina ab *Hebraeo*, & *Chaldaeo* non exstant, & a S. *Augustino*, & *Chrysostomo* ideo omittuntur. A LXX. tamen addita conveniens iis sensus cum S. *Hilario*, & *Athanasio* suadet. Dei laudes dicendae, & confidentia in eum non in Principes, & filios hominum habendam esse hortatur.

Ps. CXLVI. CL. Quinque sunt Psalmi, quibus duplex infronte, & calce *Alleluia* est. Addidere aliqui tribus primis *Aggaei*, & *Zachariae* nomina, quia eorum temporibus exarata credidere; Patrum etiam, ac interpretum omnes eos *Babylonica* captivitate posteriores esse iudicavere. CXLVI. gratiarum actio ob libertatem populo a Deo restitutam, concessamque templi reaedificandi facultatem; CXLVII. Ierusalem ad Deum ob concessum ei patrocinium, & beneficia laudandum invitatur.

CXLVIII.

CXLVIII. Omnes Creaturae ad laudes Creatori dicendas vocantur, ideo hoc canticum *Physica Sacra* appellari solitum est. CXLIX. Deus, quia hostes eorum depressurus eos gloria cumulabit, laudatur. CL. finaliter demum Levitae ad Deum in musicis concentibus celebrandum hortantur. *Alleluia*, laudate Dominum. Sic Psalterii liber, nostraque titulorum enumeratio finit.

DIS-

DISSERTATIO XX.

De Chronologia Pentateuchi usque ad Abrahamum.





Vanti omnibus historiae cultoribus esse debeat Chronologiae studium ex tot, quibus in dies immergimur erroribus, cuique patet, ita ut *Possevinus Apparat. in omn. gent. histor. Sect.* 1. *cap.* 10. dicere non vereatur. *Apud quos ratio temporum non cohaeret, apud hos nec veritatis, neque historiae fidei ratio ulla potest constare*. Quam dubiosum autem hoc ac difficile prae omnibus studium plerisque apparuerit, opinionum immensa diversitas, auctorum infinita controversia, Monumentorum antiquorum defectus, aliorum gnystictis, cunctorum aliquando in dubium a criticis vocata fidelitas, ipsumque tamdiu ab Historicis nostro illorumque damno derelictum, ac non nisi duobus abhinc saeculis reassumptum fuisse superflue ostendunt.

Si tamen tanti nobis in minoris etiam momenti factis historicis annorum computus, & Epocharum ratio stetit stabilienda, ut ipsa historiarum veritas auctoritatem suam, ac

fidem ea deficiente perdere valeat, quanti non igitur omnia illa facere deberemus, quae in Sacrarum Scripturarum paginis unico verissimoque Religionis Sanctae monumento minimum quid Chronologicorum dubiorum vel finiant, vel saltem facilitent. Sic certe hucusque omnes, quibus salus aut propria, aut aliorum curae est, cogitavere, ideo *Petavium*, *Pezronium*, *Usserium*, omnesque, qui tam elaborata, utiliaque nobis temporum rationaria, aut leges reliquere, nostrae Religioni insigne emolumentum attulisse existimarunt.

Ideo tamen, licet hac arte multa inconvenientia, quae in historiis narrandis alias evenere, evitare iam non ignoramus, difficultates tamen nobis maximae adhuc indecisae non solum relictae sunt, sed & multorum, si velis, differentiis magis obscuratae. Si de prima mundi creati epocha loquamur, quid eo moestius cum ipsa mundi origine, nostrorum etiam dubiorum obscuritatem inchoasse? Quid magis deplorandum nos in re tanta non argumentorum evidentiis, sed coniecturarum verisimiliore soliditate in ea stabilienda decertare? Ita ut *M. Fabricius Bibliograph. antiquar.* in stabiliendo numero annorum a Mundo creato, ad eius Redemptorem I. C. plusquam 140. opiniones, quarum minor non nisi 3616. maior 6484. annorum continet, numeraverit, nec omnes tamen complectere potuerit; Vix duos enim Chronologorum sibi cohaerere videbis; Neque in tanta antiquitate aliquorum annorum computus nos terreret, sed trium millium annorum discre-

ſcrepantiam tolerare hiſtoriae dolet ſinceritati; Sexaginta, etiam aut 80. annorum nec errorem in toto chronologiae contextu dicerem, *In ſupputatione* enim *temporum, ſiquis paucis annis fallatur, in vetuſta hiſtoria ferendum eſt, ſed totis duabus aut tribus aetatibus*, vel generationibus, quas 30. annos computare Chronologi ſolent, *aberrare non permittitur*. *Dion. Halicarn. Ant. Rom. lib.* 7.

Quomodo etiam hanc confuſionem evenire impedies? ipſa vox *anni* quot populis, tot ſignificationes obtinuit; Qui ſolarem curſum, qui lunarem ſequebantur, quibus menſtruus, quibus ſemeſtris annus erat. Qui dies, qui noctes computare, alii artificiales, alii naturales, vel ambas 24. horis complectebant. Sic exotica Hiſtoria Sacram magis conturbat, cui famulari deberet; Nec multum nos ad finiendas aut ſolvendas Temporum diſputationes iuvat, quin potius impedit.

Quod igitur in annis a Mundo creato ad orbem Redemptum ſtabiliendis maxime eruditioni noſtrae aut ſecuritati arduum, eſt nullis nos poſſe monumentis uti quam ſacris, quorum Scriptores intenti potius, ut lectores ſuos pios redderent, quam Chronologos facerent vel eruditos non ſatis magnam certe operam navarunt, ut factorum, quae narrant, annos omni neceſſario temporum ratiocinio firmarent, aut ab anachroniſmis, qui in illis non pauci occurrunt, liberarent. Videmus etiam paucos annos aliquando nec

in computum duci, quibus numerus rotundus, ut facilius memoriae mandetur, ita charus semper extitit, ut non solum menses, quos supra annum aliquis vel vixit, vel regnavit, tacerent, sed & saepius, ut in omissis I. C. Genealogiae ad rotundum aut aequalem earum numerum patet generationibus, aetates turbarent, contradictionibusque implerent.

Nec ista curarem, si aliquando eaedem SS. Paginae mensuram tantum temporis politici continentes, permitterent, ut per eam in temporis Physici cognitionem veniamus. Ideo frequenter aut Captivitatem aut anarchiarum computus omittuntur, quas tamen fuisse inter Iudicum Regna ex *Iosepho* colligimus, in quod cum *Iulio Africano*, *Isaacus Vossius*. *Can. Chronol. pag.* 135. *&* 136. & *Simonius hist. crit. du V. T.* 1. *cap.* 1. plerique modernorum facillime convenimus.

Restat nobis enumeranda maxima omnium difficultas, quae in ipsa Codicum Pentateuchi discrepantia consistit. Sunt hi, quos numeramus tres. *Hebraeus*, cui assistit *Vulgata Latina*, *Septuaginta Interpretum Graecus*, *&* *Samaritanus*; Necesse esset, ut omnium horum authoritatem firmarem, nullamque citra temeritatem reiiciendum assererem, eorum, quomodo ad nos venerint historiam texere, quod tamen a tot aliis eorum gnystioti probata ante me factum est, ut inutiliter toties cocta repeterem. Sufficit mihi hoc adiungere non sufficientem nos posse pro illis reverentiam ostendere, quos ipsum Spiritum Sanctum pro Christianae fidei fundamento

to zelantem ita conservasse videmus, ut non permiserit eos unquam in minimis Religionis firmamentis corrumpi, aut discrepare, nec alias quam huic, qui principalis SS. paginarum finis est, maxime indifferentes Chronologicas, talesque esse differentias.

Solent hucusque plurimi unum eorum aliis duobus funditus reiectis amplectere, nullumque quam suum non corruptum, aliosque falsificatos mendisque scatentes exclamare. Qui pro *Hebraeo* sunt, hunc solum originalem, hac lingua legem a legislatore Propheta, scriptam, atque inter traductiones *Vulgatae* ad haerendum esse tradunt, quam S. *Hieronymi* versionem adpellamus & SS. nos Tridentina Synodus laudat, cui citra temeritatem maxime profanam nullus est, qui refragari velit, aut possit. Scimus quanti SS. Ecclesiae Patres in primis eius Sanctissimisque incunabulis *Septuaginta* versionem habuerint, eique soli adhaeserint, sed quia *Hebraicus* Codex non nisi posteriori tempore in illorum manus venit, antiquissimam hanc traductionem quasi Originalem antiquiori deficiente Codice venerarunt. Quae eo tempore cum *Hebraico* textu certe non tantis locis discrepasset, quia non tot scribarum manibus adhuc subdita, non tot ut processu temporis libertate, & ignorantia descriptorum intrusos passa est aut errores, aut correctiones; Quam tamen maximam suo tempore fuisse ipse S. *Hieronymus* nobis attestari voluit. *Hebraicus* textus minori descriptorum numero ob temporis tarditatem, quo nostris concessus est oculis, subiectus, minores cer-

te passus est revolutiones; Non dico nullas, quia describentibus etsi paucioribus nullas irrepere impossibile est, sed tamen nil ultra humanum quid, minimumque ad Graeci *Septuaginta* Codicis comporationem huncpassum admittam, nisi cum a *Iudaeis* malitia propria falsificatum velis, quod adhuc incredibilius sonat, & infacetum. Quis credet eos id, quod unicum illis superest, monumentum se velle depravare, qui tamen non fidem tantum, & venerationem, sed & superstitiosam credulitatem tam textui, quam ipsis etiam litteris attribuunt, ut tanta inter illos cabalistarum opera, totque super hoc Rabbinorum commenta testantur; Vel quis credet eos illa, quae indifferentia ut Chronologiam taliaque mutasse, & in prophetiis psalmisve tanta tamque evidentia de Redemptore Generis Humani, Messiae Divinitate, vocatione Gentium, secundae legis perfectione signa non corrupisse. Talia certe me dicere pudebit, si non nimis facetus esse velim, quod minime necessarium esset.

Maxima certe plurimaque cucurrit per tot descriptorum calamos errorum pericula *Graeca LXX. Interpretum versio*, quia illa est, qua undique omnes utebantur, undique igitur & ab omnibus descripta, plusquam alii duo Codices humani passa est. Si *Hebraeus*, quia tempore captivitatis *Babylonicae* perditus erat, ut plerique assicurare cupiunt, quia demum caracteres textus *Hebraici* mutati sunt, quod nemo inficias ibit, alterationis generare potuit suspicionem. Quomodo

do versionem *Graecam* huic praeponemus; quae ab hoc eodem, si velis, alias deperdito *Hebraico* textu post caracterum mutationem dessumpta est, an hanc pluris facies, quae totam certe ab *Hebraeo* originali auctoritatem & non alio sibi acquisivit; Si Antiquae Ecclesiae mihi sensus obiicis, an non respondeam illam ob Codicis originalis deffectum, antiquissimam sibi habuisse versionem.

Tertius demum est *Samaritanus*, his nulla alia, quam *Pentateuchus* fuit Scriptura; de quo certe credendum est, illum ab hoc populo omni fide, accuratissimaque sinceritate conservatum fuisse, quia hoc unicum suae Religionis illis supererat testimonium, hic Codex nunquam deperditus fuit, uti de *Hebraeo* credimus, & de quo securius convenimus, antiquis adhuc conservatisque sibi caracteribus semper usus est, qui ab *Esdra* novis inventis in *Hebraeo* alterati sunt. Non tot ergo revolutiones quam praecedentes passus est, & dum nos usque ad *Origenis*, & *Hieronymi* tempora latuit, descriptorum nostrorum sorti minus subiacuit. A S. *Hieronymo* multis locis laudatur, utilissimeque eo semper interpretes nostri ad rectificandum textum *Hebraicum* usi sunt; Nec mirum, quia omnes textuum duorum collatores vix non *Samaritanum* ipso saniorem conservatione existere putant, quam collationem cum *P. Morino*, qui curam *Pentateuchi Samaritani* 1631. maximam habuit, saniorem que illum credidit, *Ioh. Clericus in Pentat. Ind.* 2. nobis notatis omnibus huius textus ab utroque aliorum diffe-

 ren-

rentiis optime praeſtitit. Male *Vſſerius* a certo *Doſitheo Origeni* noto: *Orig. contr Celſ. lib.* 1. *in Matth. tract.* 27. *in Io. tr.* 14. illum iuxta verſionem LXX. correctum autumat, quia potius ab eo pluribus locis recedit, maxime: *Gen.* 1. *v.* 7; *cap.* 8. *v.* 3. & 7; *cap.* 49. *v.* 22.; *Num.* 22. *v.* 4.

Quantam tamen non aeſtimemus oportet Divinam erga nos eſſe providentiam, quae nullum horum Codicum a fidei tramite aberrare permiſit, aut in minimo quoque, quo noſtrae Religionis ſinceritas in dubium vocari poſſet, deficere. Sunt ergo tres hi *Pentateuchi* ob conſervatum in illis admirandum legis noſtrae, & promiſſionis fundamentum aequali veneratione proſequendi.

Tanto magis quo *Hebraeus* originalis Codicis antiquitatem, *Graecus* verſionis a primitiva Eccleſia quaſi originalis habitae ſanctitatem, *Samaritanus* non tot Revolutionibus ſubiectam, iiſdemque caracteribus conſervatam puritatem praeſeferat.

Si diſcrepantia Chronologiae aliquot eſſet annorum non magni curanda eſſet, ſed vide, qualis ſit in ſubiecta tabula; ultra quas porro accedit *Ioſephi* in LXX. non minima correctio.

Quod *Hebraeum* attinet, certum eſt illum hiſtoriam tam brevibus includere temporibus, ut hunc ſequendo ferme omnium exoticarum traditiones reiicere oporteat, nam nullum aut exiguum nimis ad Imperia formanda, civitates erigendas, Regumque ſeries ſupereſt; Porro rerum naturae, quae in hiſtoria-

rum

rum eventibus, Rerumpublicarum, Scientiarum, & artium incrementis non praecipitatum sed ipsum, quem in homine solet, cursum sequitur, hoc modo, qui iusto brevior est, detrahunt. Duo nobis *P. Tourneminius Dissert. Chronol. ad calcem annot. ad Menoch. edit. suae*, huius rei proposuit exempla.

Alexander M. Babylonem occupavit. 331. ante I. C., dum observationes astronomicae *Chaldaeorum* iam ad 1903. annos pervenissent; Incoeptas igitur illas iam. 2234. ante I. C. sequitur, a quibus usque ad Diluvium iuxta *Hebraeos* non nisi 114. restant, antequam ipse *Arphaxad Chaldaeorum* Pater genuisset; Quis credet tam exiguis post Diluvium annis homines ad Astronómicas se admovisse lucubrationes, dum terra noviter a Diluvio depopulata illos coegit magis necessariis vitae commodis studere; An non videmus indies nos scientias curiositatis caussa tantum excogitatas facillime derelinquere, dum animum seriosioribus admovere cogitationibus suadet necessitas, licet nostris temporibus multo magis inutilitatibus studere libeat, quam Protoparentum nostrorum, quod nec alia ratione nobis contingit, quam quia ad vitam & delicias usque nulla nobis iam desunt, ut ingenio nostro curiositati ipsi indulgentes saltem occupationem praebeamus, quod non tantum coloniae nostrorum, quibus talia nec quidem cogitare in mentem unquam venit, sed & ipsi in miserioribus mundi Regionibus incolae omnia vitae nostrae non maxime necessaria spernentes facillissime persuadebunt. *He-*

Herodotus lib. II. hist. narrat, *Tyrum*, ut illi urbis huius Sacerdotes perhibuerunt, a *Sidoniis* iam 2300. abhinc annis extructam esse; *Herodotus* haec, dum 450. ante I. C. Tyri fuisset, percepit; iam ob paucos, qui nobis iuxta *Hebraeum* ad Aeram vulgarem remanent, annos, sequitur Tyrum quatuor saeculis ante Diluvium extitisse.

Taceo de reliquis, qui nobis ex *Aegyptiorum*, *Sinarum*, *Chaldaeorum*, *Iaponensium*, aliorumque chronicis lapides offensionis multo maiores obiiciuntur.

Hoc est, cur versionis *Graecae* fautores ita in *Vulgatam*, *Hebraeumque* exclament, sed uti hic post Diluvium ob exoticarum historiarum tamen non ita necessariam conbinationem aliquam passus est offensionem, sic *Graeca* horribiliorem ob annorum numerum, quem ubique cuilibet Patriarchae non ita castigate addidit, anachronismum secum ipsa incurrit.

Vixit *Mathusala* annos 969. & anno 167. genuit *Lamechum*, qui 188. genuit *Noemum*, cuius anno 600. Diluvium contigit; Redige illos in unum, fient 955. Desunt igitur ad explendam aetatem *Methusala* anni 14. his igitur eum ultra Diluvium vixisse sequetur. Porro *Cainan* intrusus, diversaque similia contra nostri Codicis contemptores obiiciuntur.

Certum est quidem, ut ex tabula chronologica adiuncta patet, ex versione LXX. nos aliquot saecula ad combinandam a Diluvio ad Aeram vulgarem historiam profa-

nam

nam necessaria lucrari, igitur nobis ex eo magis naturae convenientem esse sequetur. Eundem tamen castigatiorem e *Samaritano* effectum habebimus, inutilesque anachronismis suis repugnantes ante Diluvium computus, aut additiones per hunc ut per illam non incurremus, tanto magis, quo chronologia ad iustificandum cultum in monte *Garizim* a *Samaritanis* erectum nihil conferre potuerit, igitur illius, quam *Hebraei* ob eam rationem volunt, in hac falsitatem pati non meruerit.

Hucusque, ut tot se explicare tricis valeant, critici nil aliud quam contra textus, quos non sequuntur, exclamare, illosque corruptionis accusare solebant. Primum autem omnium naturae eventuum, & Chronologiae profanae magis conveniens systema, quod nullum abhorret codicem, nullamque tam insignem, ut volunt plerique, corruptionem incurrisse accusat, illud est, quod dictus Eruditissimus P. *Tourneminius* non solum *loc. supr. cit.* sed & *Iourn de Trev. an.* 1703. *Mart. art.* 44. *August. art.* 140. & 141. & ex eo *Doctissimus Lengletus Meth. hist. tom.* 1. *cap.* 3. reliquere. Hoc mihi eo magis arridet, quia SS. Bibliis debitam auctoritatem tribuens tamen eundem quem illi, qui *Hebraicum* textum respuunt, in historia profana fructum consequitur.

Supponimus enim textum *Hebraicum* in *Gen. cap.* 5. & 11. incorruptum remansisse; Sed in 11. differentem ab illo, quem ordinario illi attribuimus, sensum obtinere. Videamus Textum *vulgatae*, seu *Hebraicam*: *Cap. XI.*

Sem

Sem erat centum annorum, quando genuit Arphaxad biennio post Diluvium. Vixitque Sem, postquam genuit Arphaxad, quingentis annis: & genuit filios, & filias. Porro Arphaxad vixit triginta quinque annis, & Sale. Intelligimus igitur *Arphaxad* vixisse 35. annis supra numerum capitalem aut primarium apud *Sem* expressum, quem ob evitandam repetitionem, ubique in sequentibus subintelligere videmus; Sic etiam saepius dicimus: *Leopoldus* Imp. Regnare coepit anno. 1658. *Iosephus* 705. *Carolus VI.* 711. ommisso subintellectoque millenario primo capitalique numero; Dices obscurum esse hunc *Moysis* se explicandi modum, qui autem non unicus, nam aliis saepius multoque obscurioribus tenebris huius Patriarchae phrasis involuta est, ita ut nos in diram tot commentariorum cogat necessitatem. Licet *Iudaeis*, quibus oralis traditio, aliique, qui illis adhuc extabant, historiarum libri supplebant, ideoque hic loquendi modus non tam incognitus, quam nobis esse potuerit, tamen obscurum aliquantulum etiam illis ipsis iam apparuisse ex hoc confirmamus, quod tam *Samaritanus* litteris ipsis fidissimus, quam LXX. postea *Interpretes* hanc additionem adiunxerint, posterisque necessariam iudicaverint. Sequamur ergo in Capite XI. *Alphonsi Salmeronis* doctissimi commentatoris regulam *Proleg.* 3. *pag.* 210. stabilitam: Si tria eiusdem monumenti mihi MSS. extent, quorum non nisi duo sibi conveniant, me his iungere, illumque per ista explicare oportere. Tanto magis hic regu-

gula ista applicanda est, ubi ipsa Religio nostra petit, ut *Hebraei* Codicis, qui *Vulgatae* nostrae est authoritas, non respuamus textum, sed illius obscuriorem intelligentiam, iam per alios duos nobis explicatam illorum additionibus explanemus, ita ut non necesse sit, unum undique corruptum, alterum falsum, tertium nescio ex hoc, quod minime verum est, correctum, aut potius depravatum exclamare, illique, quos sanior prophana historia petit, plusquam 7. saeculorum anni citra horum crisium necessitatem nobis accedunt.

Eamus nunc ad caput V., ubi *Samaritanus* has additiones, ut in Cap. XI., non adiunxit. Nec sensus illius capitis de generatione Patriarcharum ante Diluvium ita constructus est, ut talem explicationem suscipiat, aut talem capitalem numerum subintelligi ferat; Videmus igitur *Samaritanum* in Capite XI. de generatione postdiluviana non alia ratione hanc additionem sibi admisisse, quam quia illam subintelligi scientes necessariam posteris obscuritatis causa iudicassent. Adstamus consequenter iterum iuxta acceptam a sanioribus criticis *Salmeronis* regulam, duobus textibus contra unum, idest convenienti cum *Samaritano* explanatore *Hebraeo* originali iisdemque, quibus in Cap. XI. additionem LXX. acceptavimus, rationibus eam hic respuere nobis necessarium duximus. *Primo*: sensus *Hebraei* eam commodissime admisit; *Secundo*: *Samaritanus* textus cum *Graeca* Versione con-

ve-

veniens eam confirmavit, ideo alterationis nullius suspicio in illam hic cadere valeret; *Tertio:* Haec additio post Diluviana chronologiae tam sacrae, quam prophanae maxime necessaria videtur; Vbi e contrario Cap. V. in chronologia ante Diluviana. *Primo: Hebraici* textus phrasis, & constructio hanc additionem non suscipit, nec subintelligi fert; *Secundo: Samaritanus* textus cum *Graeca* non ut ibi conveniens hanc quid humani passam fuisse suspicari facit; *Tertio:* Additi chronologiae ante Diluvianae anni omnino inutiles sunt.

Obiicies adhuc tamen *Samaritanum Hebraeumque* computum insigne discrimen pati, ita *Hebraeus* a creatione ad Diluvium 1656. numerat, ubi *Samaritanus* non nisi 1307. admittit; Differentia haec praecipue in aetate Patriarcharum, *Iared*, *Mathusalah*, & *Lamech* consistit, quae tamen antiquitus non exstiterat, ut *S. Hieronymus in quaest. in Gen.* testatur: *In Hebraeis & Samaritanorum libris ita scriptum reperi: Vixit Mathusalah 187. annis, & genuit Lamech, & vixit Methusalah, postquam genuit Lamech, 782. annis, & genuit filios, & filias, & vixit Lamech 182 annis & genuit Noë.* Sic etiam in duobus textibus fragmentorum a Doctissimo P. *Montfauconio* allatorum *pag.* 21. *Origenes*. Hoc modo etiam ab Interpretibus anachronismus *Mathusala* in LXX. ultra Diluvium viventis corrigi solebat. Videmus iterum, quod meam confirmat sententiam, *Samaritanum* eiusdem fuisse chronologiae cum *Hebraeo* in Cap. V. idest: ante

te Diluvium. Illum autem in Chronologia post Diluviana Cap. XI cum LXX. convenisse semper etiam antiquitus patet ex *Iulio Africano*, & *Eusebio in Chronico*; *Georgii Syncelli* autem postmodum temporibus Cap. V. Genesis suam, quam indigitavimus, iam passum erat depravationem.

Quid autem sit, quod in Cap. V. illam nobis Graecae versionis additionem causaverit, nescio aliud dicere quam descriptores, qui omni Patriarchae post Diluvium in Cap. XI. a LXX. annos 100. addi viderunt, nec rationem intellexerunt, illos etiam cuilibet in Cap. V. competere, licet sensui non susceptiles fuerint, indicasse.

Intrusus autem legitur in Versione Graeca LXX. novus *Cainan* filius *Arphaxad Gen. Cap. XI. & Paralip. cap. 1.* quem autem multi suscipiunt, quia *Lucas Evangelii cap. 3.* eum commemorat, in quem tamen eorumdem postea Hellenistrarum descriptorum opera irrepsisse facillime putarem, quia ambo alii saniores Codices *Hebraeus*, & *Samaritanus* nec quidquam de eo perhibent, si ergo Codices ob differentiam corrigendi sunt, semper duos antiquiores idest, *Hebraeum*, & *Samaritanum*, pro uno noviore, non originali, sed versione tantum, ut Graeca LXX. interpretum est, sequemur; Nec antiquitus in hac versione fuisse ex eo constat, quod veteres Patres eam secuti non nisi in decem generationes a *Noë* usque ad *Abrahamum* convenire quae, si *Cainam* legissent, undecim fuissent, videmus; Sic *Origines tract. 4. in Matt. & tract.*
20. *in*

20. *in Iohan.* & *homil.* 4. *in Num.* quod & *Hexapla* Eius testantur, quae secutus *Eusebius in Chronico*, ac vetustior *Iulius Africanus Origenis* comtemporaneus, nil de *Cainan* scivere; Eiusdem additionis *Theophilus Antiochenus lib.* 3. *ad Autolyc. Edition. Graecae.* Dum annos iuxta Codicem LXX. supputasset, non meminit. Sic etiam factum a *Quinto Iulio Hilarione lib. de Duration. mund*; *Oros. lib.* 1. *cap.* 1; *Idac. Prospero*; *Marcellino Comite*; *Cassiodoro*; *Isidoro*; *Gregorio Turonensi*; & Veteribus Marthyrologii authoribus. *S. Irenaeus* 72. generationes ab *Adam* usque ad I. C. *S. Epiphanius* . . 22. usque ad *Iacob* numerant, alteram adiecturi, si *Cainanum* admisissent. *Id. Haeres* 55. & *lib. de pond.* & *mens.* Nec eum observat *S. Hieronymus* in suis quaestionibus, aut si mavis, differentiis Hebraicis. Deest hic *Cainan* in vetustissimo exemplari *Editionis Romanae*; Nec aliae Orientales versiones ex *Graeco* dessumptae, ut *Arabica*, & *Russica*, 1. *Parali cap.* 1. eum admittunt. Additamentum hoc primo in *Theodotionis* versionem irrepsit, ideo *Origenes* editiones LXX. cum *Theodotionis*, *Symmachi*, & *Aquilae* collaturus id obelo notavit, certe non in unico *Theodotione* notaturus, si in aliis Interpretibus aut LXX. fuisset. Sic *Procop. in Genes. cap.* 11. & *Hieronym. ep.* 107. *ad Chromat.* Stabiliendum ergo est antiquitus in Graeca versione abfuisse, nec miror quidpiam in LXX. irrepsisse, ubi *Elisa* in genealogia *Iapheti*, urbs *On* urbibus *Phiton*, & *Ramesses* taliaque plurima addita fuisse, diu observatum est. *Su*-

pe-

pereſt, ut nunc de Evangelio S. *Lucae* reſpondeamus. In vetuſtiſſimo Codice *Bedae* hic *Καϊνὰν* abfuit, ſic viri graves & Catholici velut *Ianſenius cap.* 14. *Concord. Genebrardus*, *Perrerius*, *Petavius* ex corruptis LXX. exemplaribus per *Graecos* amanuenſes in poſteriores S. *Lucae* Codices redundaſſe conſentiunt. Volunt aliqui a *Moyſe Cainan* ſecundum praeteriri, ut idem numerus Patriarcharum ante & poſt Diluvium ſubſiſtat. Exemplum nobis adducent I. C. in *Matthaei* Evangelio genealogiam, in qua 3. generationes ex conſulto praetermiſſae ſunt, ut idem earum numerus in ſingulis ordinibus eveniret. Quibus reſpondemus non credendum eſſe *Moyſem*, qui ex profeſſo Patriarcharum hiſtoriam & generationes tractavit, eum omittere voluiſſe; porro ſi omiſiſſet, *Samaritani* in ſuo Codice obſcuritatem hic, ut in aliis eos feciſſe videmus, ſuſtuliſſent. Tandem quod ad S. *Matthaei* exemplum attinet, illud *Moyſi* applicare iniuſtum eſt, magna enim inter has duas narrationes exiſtit differentia; *Matthaei* hiſtoria non alium finem habet, quam I. C. Davidis filium oſtendere, haecque potuit 3. nomina omittere, quae e *libris Regum* & *Paralipomenis* aliunde omnibus diu innotuerunt, ubi de *Cainano* ullum ante *Moyſen* teſtimonium tuliſſe probare nequimus, ubi nec *Moyſes* hoc facere potuerat, qui non tantum Hiſtoriam, ſed & chronologicam ſaltem temporis politici ſibi curam Patriarcharum annis ante & poſt generationem cuique appoſitis aſſumpſerat, in hac autem unam generatio-

rationem tam sollicito auctori praeterire, profanum certe fuisset. Accedit *Matthaeum* non solum, ut quatuordecim in singulis spatiis generationes consectaretur, ea praetermisisse nomina, sed quoniam perfidae, ac alienae stirpis ad tertiam, quartamve generationem propagandum erat piaculum. Sic *Ambrosius*, *Hilarius*, aliique e Patribus interpretes iudicarunt. Taceo, quod mendosum locum *Matthaei* esse ex antiquissimis MSS. *Petavius Doct. Temp. lib.* 9. *cap.* 18. aliique velint. Sic credo nos *Cainanum* suppositum e nostra Chronologia sufficientibus rationibus expunxisse.

His iuxta tenuitatis meae vires praestitis, Codices aucthoritatem suam conservant, Chronologia Patriarcharum profanam adiuvat, anachronismi evitantur, & vix ulla amplius manebit dissonantia, quod ut fecisse ostendamus novam Chronologicam tabulam adiungere libet.

ARCHARVM

ritanus.		Combinatio noſtra.	
	an. mundi	an. aet.	an. mundi
		130.	
	130.	105.	130.
	235.	90.	235.
	325.	70.	325.
	395.	65.	395.
	460.	162.	460.
	522.	65.	622.
	587.	187.	687.
	654.	182.	874.
	707.		1056.
	1307.	600.	1656.
	1309.	135.	1658.
	1439.	130.	1793.
	1569.	134.	1923.
	1703.	130.	2057.
	1833.	132.	2187.
	1965.	130.	2319.
	2095.	79.	2449.
	2174.	70.	2528.
	2244.		2598.
	2319.	75.	2673.

(d) 2. aufert. (e) 2. reſtituit. (f) 50. ad-
s 3523. annorum efficiat.



DISSERTATIO XXI.

Introductio ad historiam artis delineatoriae.



Elineatoriam artem eam esse, quae picturae, sculpturae, & Architectonicae recte mater nominatur, solamque illam his omnem formositatem largiri indubitatum est.

Tot iam ante me de pictorum, aliorumque artium virorum illustrium operibus egere, ut superfluum mihi videatur de horum nobis aliunde nota historia pertractare. Quia tamen celebris admodum vir P. *Monierus* Pictor Regis Christianissimi non indignum sibi putavit delineatoriae artis historia eius originem, & quas diversis temporibus mater haec cum filiabus suis passa est, revolutiones enarrare. *Hist. art. quae a delineatoria nascuntur*; unam etiam hebdomadam tantae utilitatis genitrici dedicare, ac si possibile est ad eius historiam aliqua dissertatione compendiosae narrationis ostium introductionis loco aperire conabimur.

Antiquissimum esse omnibus Barbaris etiam nationibus, quae natura homini ostenderat, delineationis licet deformi adhuc modo memoriae suae imprimere, ex eo videmus,

quod apud quos ſcriptura litteras annalibus ſcribendis neceſſarias non habebat, apud eos tamen harum vices figuras, quae hiſtorias depingendo earum narrationem in poſteros tranſmiſerunt, geſſiſſe videamus. Ideo *Cornelius Tacitus Annal. l.* 11. ſic dicit: *comperio quoque graecam litteraturam non ſimul coeptam, abſolutamque; Primi per figuras animalium Aegyptii ſenſus mentis effingebant, & antiquiſſima monumenta memoriae humanae impreſſa ſaxis cernuntur, & litterarum ſemet inventores, exhibent*. Quod nobis Obeliſcorum, quae extant, in hodiedum monumenta confirmant. Nec de ſapientiſſimo tantummodo populo haec dicenda ſunt, quia *America* inculta maxime pars orbis noſtri in hiſtoria Regni *Mexicani* eiusdem pictis figuris caracteribus loco deſignata manifeſtum nobis praebet exemplum naturam ipſam primam omnium aliarum artium matrem conſtituiſſe delineationem; *Motezuma* ultimus Regum *Mexicanorum* libros hiſtoricos, ſeu annales habuit figuris in tela litterarum loco conſcriptos. Nec pictura apud eos tam Barbara fuit, ſi is per eam novi exercitus notitiam depictis in tela Bombacea navibus, tormentis bellicis, equis, & canibus, qui eum componebant, habere, atque *Ferdinandus Corteſius* eadem ſcriptura monente inſidias ſibi a Barbaris praeparatas, earumque auctores ſcire valuit vid. *Don Solis de Goyen. Hiſt. de la conqu. de Mex*; *Hiſt. gen. des Ind. Lop. de Gomar*. Nec illi potuiſſent Regiam tot ſtatuis Aureis ornare, ſi delineatio iis conductrix non adſti-
tiſ-

tisset. Si etiam omnium ferme nationum ferocissimam *Iroquaeorum*, *Huronum*, caeterosque *Canadae Septentrionales* incolas adeamus, videbimus hos etiam heroum suorum praeclare gesta variata figura arboribus incidendo narrare. Vid. *P. Lafitau. Maeurs. dessauv. Amer.* Ex quo patet necessitatem ipsam delineationi apud omnes populos dedisse initium. Nec necessarium ducimus iis accedere, qui vel pastori ovem aliquam iuxta umbrae suae proportionem in arena signanti, aut amori cuiusdam iuvenis ad lucem nocturnam abscedentis puellae suae umbram in muro notanti, tantae inventionis gloriam attribuunt. Fateor umbram ipsam nobis forte primam ideam delineationis dedisse, antiquior tamen est, quam omnes, quae nobis a Graecis historicis narrantur, fabulae, eius certe origo, non enim permisit generis humani necessitas, ob multas hominum, quae non nisi a delineatione formam sumunt, occupationes artem hanc nobis tamdiu incognitam permansisse, quomodo enim ipsa proprietas, quam sibi in terra mortales assumpsere, subsistere valuit, si differentes cuique convenientes eius portiones non ita etiam delineando ad eius securitatem, evitandasque contestationes dividere sibi, notareque valuisset. Nec hoc mirum est, si in *America* ex historia supra citata geographiam ipsam provinciarum suarum incultae alias genti innotuisse sciamus. Nec ideo dubitarem etiam ante diluvium iam eam humano generi cognitam fuisse.

Licet columnae, quas *Seth* extruxisse perhibet *Ioseph. l. 1. Antiq. Iud.* ob defectum antiquiorum hoc auctore testimoniorum nullius sint auctoritatis, tamen arca *Noe*, quae dificillime absque omni delineatione construi valuit, quasi monumentum architecturae, quae matrem sibi suam supponit, adduci posset.

Non longo post diluvium tempore tantas urbes, & aedificia prodigiosa exsurgere videmus, ut delineationem certe eorum Genitricem credere valeamus. Structura Turris Babelicae prorsus nobis ignota est, sed si templum Iovis cuius nobis architecturam describuntur, eius reliquias esse iudicemus, vix eam absque delineationis adiutorio surrexisse credemus. Crevit certe cum hominum tyrannide ars etiam mater, si filiarum *Architecturae*, & *Geometriae* tanta iam navi videmus prodigia. Quae nobis in *Babylonis* descriptione ab *Herodoto* & *Plinio l. 6. c. 26.* non narrantur? Si etiam *Bagisthonen* montem illum insignem a *Semiramide* scissum negemus; Videamus, si velis, in orbis a diluvio vix restaurati incunabulis omnium historicorum auctoritate probata monumenta, ut artes, quae in hunc apicem tanta velocitate se erigere nequeunt, antiquiores, quam alias credidimus, maxime vero delineatoriam iudicare cogamur. Non male igitur a filiarum perfectione matris progressum narrabimus.

Si *Babylonia* nobis praebet, quae admiremur, quanta non *Aegyptus* maiora portenta erexit; testantur id *Labyrinthus*

opus

opus maximum à Rege *Petesucho* incoeptum, a *Psammeticho* vero ad perfectionem suam perductum, atque solis divinitati ab eodem dedicatum. *Plin. l.* 36. *c.* 13. Enormem architecturae *Egyptiacae* pompam etiam Obelisci, Pyramides, atque colossalis figura Sphyngis Romam deportati ostendunt. *Plin. l.* 36. *c.* 12.

Dum autem *Agenor* Aegyptiacus *Tyri* Regnum fundavit, delineationis perfectio illuc transportata est, quae postea cum eius nepote *Cadmo Graecis* se una cum litteris communicavit; Hic urbem erigit quam *Thebes Aegyptiacae* nomine, ut primam illius ostenderet originem, insignivit. Non tamen magna illius nobis tantae perfectionis monumenta in *Graecia* ostenduntur; Manifestum exemplum! artes, dum magni nominis partus praeseferre potuere, antiquae certe iam fuisse originis, hae enim non nisi tardum naturae, eiusque productionis modum sequuntur, si enim aliter de artibus nobis argumentari libeat, arborem excrescere dicemus, antequam radicem in terra sumpserit.

Sycion igitur, & *Argos* prima Graecorum Regna non statim prodigiosa artium incunabula laudant, sed harum perfectio, usque dum *Athenae* fundatae sint, se distulit. *Daedalus* enim *Metionis* filius, & *Thesei* patruelis Regia stirpe ortus, ut *Pausan. Attic. Diodor Siculus*, *Eusebius praep. Evang. l.* 3. & *Plutarch. vit. Thes.* narrant, sculptor admirandus extitit, qui primus fors pedes statuarum in *Graecia* solvit, naturamque, cui antehac

 fi-

figurae terminorum more pedibus unitae alienae erant, secutus est, ita ut ipsius statuas machinis animasse, motuique naturali similes dicerent. Hic etiam *Aegyptum* petiit, ut labyrinthi formae studeret, ad cuius normam postea *Cretensem* illo primo tamen multo inferiorem extructum fuisse scimus. *Plin. l.* 33. *c.* 13. Reliquit *Daedalus* binos sculptores sanguine, & arte filios *Diopenen*, & *Scyllionem*, quos *Sycione* fuisse scimus *Plin. l.* 36. *c.* 4. Ad *Troiae* tamen excidium *delineationem* eiusque filias magnum sumpsisse incrementum videmus ob celebrem galeae *Achillis* ab *Homero* Poëtarum Principe decantatae descriptionem, quam *Iliad. l.* 18. & *Ovid.* 13. *l. Metamorph.* legimus; Videmus ibi equi lignei artifices insidias *Dicratei* opus, qui *Metapontem* Civitatem extruxit, ut in illa urbe in *Minervae* Templo servata magni huius sculptoris, & architecti instrumenta testantur. *Iustin. l.* 20. *c.* 2. *Plin. l.* 7. *c.* 56. *Troiam* etiam sculptores suos habuisse in *Palladio* & *Samothracum* idolis cernimus.

Uti *Tyrus* artem delineationis una cum litteris in *Graeciam* transtulit, sic etiam eadem arte *Africam* decoravit; Inordinatus fors harum artium in Phaenicibus amor fecit, ut *Pygmalionem* eorum Regem effigiei alicuius pulchritudine captum foeminas omnes odisse perhibuerint; *Dido* autem eius soror, quae ingentes Thesauros e patria abstulit, an non etiam iam in vita sua partem huius perfectionis Africae communicaverit, vix dubitarem, quia non longo postea tempore ingentem il-

lam

lam *Apollinis* effigiem in eius templo aureo, in Portu, quem *Cottona* appellarunt, exsurgere videmus; quae a militibus *Scipionis* destructa mille illis adhuc auri talenta valuit. *Appian. Bell. lib.* Nec *Roma* ipsa Tyrannorum mater, quae Thesauros, & artes aliarum Regionum sibi acquisivit excidio, adhuc in tantam, quam *Garthago*, perfectionem pervenerat, quia nullus ante *Scipionem* tanto triumpho, quo ille, tot *Romam* delatis effigiebus urbem decoraverat *App. Hid. c.* 14. Ipsa *Asdrubalis* galea ob artem suam *Romanis* in capitolio servanda apparuit. *Plin. l.* 35. *c.* 3.

Non est, quod *Romani* non ante *Scipionis* triumphum monumenta aliqua perfectionis delineatoriae ostenderint; scimus enim *Tarquinium Superbum* ingentem Thesaurorum vim in erigendo *Iovis Capitolini* templo expendisse *Plutarch. vit. Public.* Fuit enim iam *Ausonia* illo tempore artium sibi e *Graecia* allatarum zelatrix. Dicitur *Cleophantes Corinthius* Picturam ipsam ultimam perfectissimamque delineatoriae matris filiam in *Latium*, *Tusciamque Tarquinii primi*, patris *Demarati* tempore deportasse; Ita ut non mirum fuerit picturas Romanis operibus anteriores in hac provincia inventas fuisse. Scimus *Lanuvi* eiusdem *Cleophantis* opus *Atalantam*, & *Helenam* ad *Caii* Imperatoris usque aetatem substitisse *Plin. l.* 35. *c.* 3. *Roma* autem aliarum Regionum victrix triumphis ab hostibus reportatis tyrannidem, & artes depopulatis urbibus postea in immensum perduxit, *Fa-*

 bius

bius Maximus, licet magnum *Lysippi* colossum *Taranto* transferre non posset, *Herculem* tamen eorum Capitolio dedit; *Marcellus Syracusanus* a *Siculis* redux tanta *Graecorum* prodigia secum detulit, ut se Romanos in aestimandis mirabilibus *Graecorum* artificum operibus instruxisse vanitate maxima dicere auderet. *Plutarch. vit. Marcel.*

Paulus Emilius postea triumpho omnium dictorum maximo, ubi per triduum ducentis quinquaginta curribus deportati ab hostibus Thesauri vehebantur, sibi gloriam, Romae artem acquisivit.

Postquam brevissime in celebrioribus Regionibus, originem perfectionis in artibus delineatoriis quaesivissem, secunda nobis orietur quaestio; Quae inter filias primatum antiquitatis mereatur, vel quae inter eas perfectionem sibi aliquam prius obtinuerit. Si necessitati homines prius quam curiositati studuisse tibi ut indubitatum imprimas, iudicium exinde feres architecturam aliis antecedere, quia habitationem natura ipsa ornamentis anteponere suadet, Haec autem necessitas tuguriis, quae corpus nostrum a nubium iniuriis tegunt, contenta ad nihil minus, quam ad aliquam delineatoriam perfectionem perducere potuit. Sunt postea quae pro architecturae antiquitate militare videmus ea, quae nobis in scriptura de Arca Noe, & paulo post de Turre Babelica narrantur, quia autem navis illa stupendum lignariorum opus potius quam aliud dicendum est, & Turris Babelicae forma nobis

pror-

prorsus incognita nullam perfectionis suae ideam generare potest, ad alia, quorum nobis aliqua est in veteribus descriptio, considerandа vertemus. Templum *Iovis Beli* aut *Babylonici* aereis centum portis ingentem aedificii machinam, mons *Bagistonae* statuarum effigiebus similitudine scissus, sculpturae portenta oculis nostris subiiciunt. *Plin. l. 6. c. 26. Herod.* loc. citat. *Aegyptiorum* artificia nobis ambarum tot statuis ornato labyrintho progressum ostendunt; Idololatria ipsa Idola sua non minoribus quam hominės habitationibus tegi volens templis suis maiori sumptuositate erigendis ubique dedit originem; Delata demum ars ab *Aegypto* in *Phoeniciam*, ab his in *Graeciam*, & *Affricam*, e *Graecia* in *Italiam*, *Latium*, & *Romam* ipsam; quae crevit in immensum, aliasque etiam regiones bellorum suorum successu ac signorum maiestate implevit; Tertia autem filiarum *Pictura* dictis duabus posterior tanta velocitate se & sorores in ulteriorem perfectionem erigere potuit, ut haec quasi aliarum Regina esse valuerit. Pauca nobis vel nulla de pictura, aut non attentionis, fideique digna inter *Babylonis*, & *Aegyptus* prodigia narrari solent, ut in *Graecos* huius artis perfectionem transferre cogamur: *Bularchus* tribus circiter saeculis ante *Alexandrum M.* vixit, qui *Candauli* Regi *Lydio* ultimo *Heraclidarum* conflictum *Magnesiorum* ad auri pondus vendidisse perhibetur. *Plin. l. 35. l. 8.* longo post Tempore *Peneus Phidiae* frater Templum Iovis Olympici picturis implevit. *Pau-*

 san.

san. Eliac. Androcides Cycizenus urbi *Thebanae* conflictum ad *Leuctras* magna arte depinxit. *Plut. vit. Pelop*; *Miron*, & *Polignotus* *Templum Delphicum*, & porticum picturis suis illustres reddidere. *Plin. l.* 35. *c.* 10. Prodiere postea *Zeuxes*, *Eupompus*, *Timanthes*, *Euphranor*, *Parrhasius*, *Apellis* demum magister *Pamphilius*; Haec est ars illa, quae in tribus saeculis admirationem antiquissimis sororibus aequalem, non solum in *Graecia*, sed & inde in *Italiam* deportata meruerat.

Romae, quae tempore consulum nobis in tantam artium dictarum pompam excrevit, ut, quibus totum orbem spoliavit; aedificiis, statuis, picturis se ipsam ornasse videretur, tantum tamen ab Imperatoribus perfectionis additum est, ut *Augustus* se Urbem, quam lapidibus coctis constructam invenerat, marmore erectam reliquisse dixerit; Circus maximus a *Caesare* Dictatore maiorem amplitudinem obtinuit; *Augustus* multa artificia publica e ruinis suis restauravit, quibus non suum sed primorum fundatorum nomen reliquit. *Plut. vit. Aug*, hoc *Templum Apollinis*, *porticus*, *Bibliotheca*, *Mausoleum Romae*, Templum *Iovis Olmpici Athenis* testantur. Persuasit etiam privatos Caesarum protectio viros, ut, quaecunque possent, urbis pompae tribuerent, ac saepe omnia sua in aedificandis sumptuosis expenderent monumentis, quare, *Stasilus*, *Taurus*, *Philippus*, & *Balbo* ab *Augusto* laudes hac prodigalitate sibi meruere. *C. Tacitus l.* 3. *Agrippa* campum Martium magnis sumptibus de-

decoravit, conductus aquae Virginis, Hortos, Porticum extruxit, Templumque Augustissimum, quod *Pantheon* dicitur, statuis *Diogenis Atheniensis*, & frontispicio ornavit. *Dion. l.* 53. *Plin. l.* 36. *c.* 15. Hic artium amor, & perfectio in omnibus *Caesarum* reliquiis ad *Antoninos* usque duravere, quod illorum effigies, & aedificia testantur.

Remanet nobis ab ea aetate *Hercules Commodus* nequaquam, *Apollini*, *Laoconi*, *Veneri*, *Tiberi*, *Cleopatrae* comparandus, declinavit postea undique sculptura, ita ut eam in arcu triumphali Imp. *Severi* iam omnem ferme delineatoriae artis virtutem perdidisse videamus; Sic pictura, sculpturaque decidente architecturae tamen proportio adhuc, & regula in *Costantini* usque tempora remansit; Arcus enim *Constantini M.* purissimum Architecturae *Corinthiae* conservat ordinem, dum in eodem quaecunque sculpturae opera pessimae sunt delineationis; Nec mirum Architecturae formositatem non tam cito periisse, huius enim perfectio maxima in proportionibus Geometricis consistit, regulisque securioribus ac mathematicis subiicitur, ubi reliquas non proportio tantum, sed varietas, natura, positura, inventio, dispositio nobiles reddunt; Imperio postea *Constantinopolim* translato iam undique omnia in artium ruinam in Occidente concurrunt, ac *Roma* suae sorti relicta, ab amicis, & hostibus spoliata est; *Constantinus M.* multa *Byzantium* artificia transtulit, ut novam coloniam relictae Urbis exuviis ornaret; Religio Christiana multas exu-

insignes gentilium Idolorum effigies evertit, & quod *Graeci* iam incoepere, id hostes demum Urbem divitiis, & splendore suo exuendo perfecerunt. *Alaricus*, *Odoacer*, *Genfericus*, ac omnium pessimus *Totilas* excidium Urbis flamma, & ferro moliuntur, Molis Adriani statuae a *Graecis* ipsis confractae ad hostes repellendos serviere; *Constantinus* III. aliis *Constans* II. post *Totilam* Romam amicus spoliavit.

Introducitur hoc tempore, quem adpellamus ordinem *Gothicum* artis monstrum, delineationis barbaries, non tamen ab his incoeptus est, sed ab iis illa, in quam artium perditio incidit, ignorantia conservatur. Antiquitas delineationis in Ecclesia Christi ab ipsis poene eius incunabulis exstitit. Narrat *Eusebius Caesariensis* mulierem, quae a Salvatore nostro a fluxu sanguinis liberata fuerat, *Caesareae* Salvatoris effigiem aeream erexisse, quae postea ob plantam ad eius pedes surgentem in variis malis curandis prodigiosa apparuit: *Conc. Nicen.* 2. *art.* 4. *S. Greg.* 2. *epist. ad Germ. Epist. Const. Euseb. l.* 6. *c.* 14. quam a *Iuliano Apostata* deiectam, suamque eius loco impositam testatur *Sozomenus*, *Antipater Bostrensis*, *Nicephorus*, *Cassiodorus*, *Metaphrastes*. Non refero historiam Regis *Abagari*, nec Imaginum Beatissimae Matris a *S. Luca* pictarum; Primae meminit *S. Io. Damasc. de orthodox. fid. S. Gregor. Patriarch. Const. epist. ad Leon. Isauric. S. Theodorus Studita orat. in Leon. Isauric. Leo lector Constant. in Conc. Nic.* II. Posteriorum vero *S. Theodor.*

dor. ſtudit. orat. in Leo. Arm. Theodor. lector. Collet. l. 1. mentionem faciunt. Quam parvae autem auctoritatis haec ſint apud multos, notum eſt. Hanc controverſiam hic finire, longum, & a me nunc prorſus alienum eſt. Certum tamen eſt Eccleſiam primorum Apoſtolorum ſuorum, Martyrum, ac Confeſſorum facies ſpectandas depinxiſſe, ut *S. Gregor. II. Epiſt. ad Leon. Iſaur. Qui Dominum cum viderent, prout viderant, venientes Hieroſolimam ſpectandum ipſum proponentes depinxerunt: cum Stephanum Proto-Martyrem vidiſſent, prout viderant ſpectandum ipſum proponentes depinxerunt: cum Iacobum fratrem domini vidiſſent, prout viderant, ſpectandum ipſum proponentes depinxerunt: & uno verbo dicam cum facies Martyrum, qui Sanguinem pro Chriſto funderunt, vidiſſent, depinxerunt*. Porro Papa *Adrianus I. ad Conſt. & Iren. Baron. annal. ad ann.* 324. & 785. In Baſilica Vaticani ſervatas dicunt effigies Sanctorum *Petri*, & *Pauli*, quas *S. Silveſter* Papa *Conſtantino M.* poſt converſionem oſtenderat. Quia tamen primi fideles maxime *Romae* in ſubterraneis eorum ſacellis, ac ſepulturis, non pompae vel artis, ſed devotionis erigendae ſacrorumque exemplorum memoriae conſervandae cauſae pictas Imagines Sanctorum propoſuerunt, ut Inſtructioni ſpirituali, non vanae perfectioni deſervirent, nec tempus inter perſecutiones moleſtum, locus abſconditus, aut Sancta occaſio voluere, ut artis paganae formoſitati, aut perfectioni, quae ſub Caeſaribus floruit, ſtudere potuiſſent. Chriſtianis poſtea tantum

hoc

hoc imitationis suorum patrum desiderium remansit, ut dum etiam *Constantini M.* tempore, quo artes aliunde iam ruinae suae proxime fuerant, non amplius labores suos abscondere cogerentur, tamen eum modum qui illis a Christianis datus est, paganorum odio conservarent, quia autem & *Graecia* hac, si velis, sancta stupiditate infecta est, aut longiori tempore remansit, *Graecum* dicere minus eruditis solebant, quem postea a *Gothis*, *Vandalis*, aliisque Barbaris, qui eum iam florere invenerant, conservatus *Gothicus* ordo nuncupatur. Videmus enim in *Monte Caelio* Templum *SS. Ioannis* & *Pauli* aetate *Iuliani Apostatae* erectum, & picturam in Ecclesia *S. Agnetis* operis musivi, quae omnia pessimae delineationis barbarique ordinis incoepti ferunt testimonia. Remansit tamen *Constantinopoli* sub Imperatorum oculis adhuc aliqua ars, aut saltem non tam cito declinavit. Voluere enim *Orientales Monarchae* Byzantii urbem *Romae* aequalem reddere, ideo quantum potuere, magnis sumptibus monumenta, & artes in novam coloniam transtulerunt; illam Basilicis, Thermis, Aquaeductibus, Porticis, Theatris, Circis, Obeliscis, Columnis, ornavere, quod etiam a *Theodosio*, *Arcadio*, *Iustiniano* factum est, artesque tanta protectione ab his Imperatoribus colebantur, ut *Theodosianum* titulum: *De excusatione Artificum* legamus. Non me movent quidem, ut picturam tam excellentem fuisse credam, quam aliqui suaderent, verba *S. Graegorii IV. vidi*

sae-

saepius inscriptionis Imaginem & sine lachrymis transire non potui, cum tam efficaciter ob oculos poneret historiam. Potuit enim Sancti huius devotio reflexionibus suis perfectionem, quae picturae deerat; gratiae divinae liberalitate compensare. Idem etiam ad ea, quae de pictura *S. Theodori Martyris* ab eodem dicuntur; respondeam, eo magis quo eam postea tam cito declinasse, & a tanta arte, quam vix antiqui, vel nostri imitatores eorum habuerant delapsam vix credam.

Quod de declinatione artium diximus, sic tamen intelligi debet, ut ordinem *Gothicum* in duobus principalius consistere advertamus, primo in mensurarum, ac proportionum Geometricarum confusione, secundo in ornamentis Gothicis, quorum quantitas, & figura eum ordinario designat; Quod delineationem mensurarum attinet, eam omni tempore inter Christianos Occidentales talem fuisse ex paucis, quae nobis in catacumbis, ac sepulturis eorum remanent, sanissimum est; Quod autem ornamentorum superfluitatem attinet non artis est exiguitas, sed potius malus, qui introducebatur, pretiosissimusque decorandi mos, quem vere a Barbaris, Gothisque venisse, & ubique invaluisse non dubitandum.

Erit praeterea, qui cum iudicioso *D. Monier* aliisque delineatoriam artem non sub *Antoninis*, aut melius, si velis, post *Domitianum* declinationem suam passam esse volet; sed non non nisi sub *Commodo* revolutionem suam coepisse. Monet inter alia me perfectio; quam

quam in famoso *Antinoo* videmus ; Est enim omnibus, eratque etiam mihi quondam opinio *Antinoum* esse, & iam promptus eram hoc nisus fundamento, in quod tot antiquitatis celeberrimi scrutatores tanquam in rem evidentem convenere, epocham infirmatarum artium in *Commodum* transferre. Praevenit autem errorem meum Clarissimus in discernendis nummariis difficultatibus *B. Philippus Stosch*, qui in tot nummis *Antinoi* faciem ab ea, quam statua memoriae meae impresserat, maxime diversam ostendit. Pingebatur etiam *Antinous* capillis longioribus e collo nudatis, statua non nisi minimis crispum caput praefert. Est etiam talis *Antinoi* ut illum hic describimus, effigies marmorea in Museo M. Ducis *Etruriae Florentiae* cum facie, & capillitio optime conveniens. Concludimus igitur statuam *Antinoum* dictam antiquum *Graecorum* esse opus, qui pulcherrimum iuvenem, *Adonem*, aut *Meleagrum* hac figura demonstrare solebant, quod cum aliis *Graecis* statuis mire cohaeret, nullumque constans in eam quam statueramus, artium infirmitatis epocham impedimentum nobis construere valet.

Tandem his dictis ad integram non amplius artium depravationem, sed ruinam veniendum est: In septimo enim saeculo nova Religio *Mahomethana*, armis victricibus stabilita in omnibus, quas sibi acquisivit, provinciis residuas adhuc a *Vandalis*, *Gothis*, aliisque Barbaris effigies demolivit, huiusque crudelitatis maxime in *Italia* ubique monu-

men-

menta reliquit ; Incoepit post hanc perfida *Iconoclastarum* haeresis , quae sub *Leone Isaurico*, *Constantino Copronimo*, eius filio *Leone*, *Nicephoro*, *Leone Armenio*, *Michaele Balbo*, & *Theophilo* Imperatoribus eodem errore infectis in *Oriente* maximam in picturam , sculpturamque , destructis omnibus earum imaginibus saevitiam exercuit.

Etruria tamen , quae in multis antiquitatis suae mirabile pretium apud antiquos artibus suis obtinuerat , eas ubique mertuass prima provinciarum secundo reviviscere iussit ; Illum semper minorum quam allae Regionis depravationem passam fuisse non male voluit *Monier* . Ordinem Gothicum tempore *Caroli M.* ubique invaluisse templum *Aquisgranense* , aliaque ab hoc Imperatore extructa nos monent , in iisque nil depositionis , aut debitae proportionis videmus ; Hic Romae redux *Florentiae* Ecclesiam SS. Apostolorum diversa a contemporaneis extra *Etruriam* aedificiis methodo extrui curavit , ubi licet non integram sanae delineationis artem admiremus , nil tamen est quod , nos impediat meliorem solita in ea proportionem observare saeculo autem decimoquarto *Etruriam* iam ad antiquorum gratiam reassumptis debilibus licet moliminibus tendere , & in Ecclesia S. *Miniatis* iam eam laborem stupendum Gothorum dereliquisse videmus , Templum tandem *Pisanum* a *Buschetto Graeco Dulichiensi* arhitecto extructum , magnum postea fuit profectionis eius incrementum . *Ioannes Cimabos* in Saeculo XIII. natus picturam *Florentiae* resurge-

gere effecit, quam postea cum aliis artibus *Florentiam* novam matrem ipsa prima gloriosiorem venerata est. Nam ab *Etruria* reliquae *Italiae* provinciae, ex *Italia* Regiones ultramontanae deperditas artes ubique reassumere valuere.

Tot sunt qui de Pictorum reliquorumque artificum operibus scripsere, ut *Sandrart*, *Vasari* omnia de illis hausisse, nilque nobis reliquisse addendum pateat, omnibusque eorum post secundam artium regenerationem opera, methodus, ars, & gloria non calamo auctorum, sed ipsis eorum monumentis contemplationi nostrae praepositis innotescere debeant.

ADDENDA CORRIGENDA ET EMENDANDA.

DISSERTATIO XVII.

Pag. 264. *defcrpſere* ad. Ibid. *paſtea* ad. a. Pag. 266. *devaſtaret* l. devaſtarent. Pag. 267. *caligantiae* l. *caligantia*. Pag. 268. *Arng. Ion.* ad ſed. Pag. 270. *inventm* l. inventum. Ibid. *terearum* l. terrarum. Pag. 272. *eſſe oſtendimus* l. eſſe vidimus. Pag. 273. lin. 10. *Thule* l. Thulen. Ibid. lin. 12. *quae* ad. de. Pag. 274. *appellativum*, l. Ibid. ita l. Ita. Ibid. *dimenſionem*. ad orbis.

DISSERTATIO XVIII.

Pag. 280. *interpretari* l. interpretari. Pag. 282. *dicat* l. l. dicet, Pag. 284. ס l. ם Ibid. *oſtenditnr* l. oſtenditur, Pag. 285. גדר l. גדד. Pag. 286. *alii* l. aliis. Pag. 287. ריב l. רין.

DISSERTATIO XIX.

Pag. 290. *tranomigrationis* l. tranſmigrationis. Pag. 291. *ſozanſim* l. *ſoxannim*. Pag. 293. *ad haerere* l. adhaerere, Ibid. accurrent. l. occurrent. Ibid. *populo* pſam. ex. Pag. 295. *Abenezra* l. *Abenezre*. Ibid. *Prefecto* l. *Praefecto*, Ibid. שןש l. שין. Ibid. *af fli-ctus* l. afflictus. Pag. 296. *ſeu* om. ut. Ibid.

X *Da-*

Davidi l. *Davidis*. Pag. 299. *nomen est* l. *nomen eius*. Ibid. *Idolatria* l. idololatria. Pag. 300. *Hieronymo* l. Hieronymo. Pag. 301. *carmen* ad esse in. Ibid. *ut* l. quam veteres. Ibid. *intrusus* ad. titulus. Pag. 302. *desumtum* l. desumptum. Ibid. כ זמור l. מזמור. Pag. 303. *idelolorum* l. idolorum. Ibid. *tribuit* l. tribuitur. Pag. 306. *eondem* l. eodem. *Ibid. Psalmo* ad se. Pag. 307. *secunda* l. secundus. Pag. 308. *recenseat* l. recensuit. Pag. 309. *Pona* l. Dona. Pag. 312. *senacheribbum* l. *Senacheribbum*.

DISSERTATIO XX.

Pag. 315. *gnystictis* l. gnystiotis. Pag. 318. *captivitatem* l. captivitatum. Ibid. *vnneritad*. Pag. 319. *falsicatas* l. falsificatas. Ibid. *ad haerendum* l. *adhaerendum*. Pag. 320. *comporationem* l. comparationem. Ibid. *cum* l. cum. Pag. 323. *facilissme* l. facillime. Pag. 325 *in hac* l. in hoc. Pag. 326. *&c Sale* l. *&c genuit Sale*. Pag. 329. *suscoptiles* l. susceptibiles. Ibid. *Abrabamum* l. Abrahamum. Pag. 330. *urbs* l. urbem.

DISSERTATIO XXI.

Pag. 335. *Lafitau Maeurs dessauv.* l. *Lafitau Maeurs des Sauv*. Pag. 336. *Templum Iovis*. ad. Ibid. *describuntur* l. describunt. Pag. 349. *in fectis* l. infectis. Ibid. *mertuas* l. mortuas. *Illum* l. Illam. Ibid. *Regionis* l. Regiones potuerunt. Illud *depositionis* l. dispositionis. Ibib. *Miniatis* l. Miniati. Ibid. *profectionis* l. perfectionis. Pag. 350. *artificuum* l. artificum. Ibid. *bausisse* l. exhausisse.

INDEX

EORVM MEMORABILIVM.

A

B

C

Cri-

D

E

Gad

H

G

H

I

K

La-

L

M

Pan-

P

VIII.

Ra-

R

S

Signo-

T

---- *iuxta*

V

W

Z